



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Ecclesiasticae Historiae, Et Dicta, Inprimis Memorabilia,  
Christi, Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Doctorum,  
& hostium veteris Ecclesie: singulari iudicio, & pio studio,  
ex Eusebio Cæsariensi ...**

**Eusebius <Caesariensis>**

**Haer. Chr. Egen., 1571**

**VD16 E 4284**

Dominorum Heroicae Et Generosae familiae Reideseliorum in inclyta  
Hassia, filijs literarum studiosis Luc. Loss. S. D.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69335](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69335)

DOMINORVM HEROICAE ET GENEROSAE  
 familiae Reideseliorum in incly-  
 ta Hafsia, filijs literarum stu-  
 diosis Luc.Lofs.S.D.



Arratiunculas hasce, partim veras, partim ingeniosè & eruditè excogitatas, vobis, generosi & optimi adolescentibus & pueris, omnibus & singulis, seorsim dedico & trado, vt meam singularem ex hoc erga vos propensionè, & beneuolentiam intelligatis, earumque vos lectione iucunda, cum satisfeceritis serijs studijs, quæ ocium moderatû & honestum requirunt, recreetis. Sunt quædam, vt dixi, veræ, quædam eruditè excogitate & Lucianicis propemodum narrationibus similes, habemus tamen commonefactiones vtilis de virtutibus, pietate, & euentibus in communis vitæ actionibus & consilijs. Spero autem neminem adeo tetricum & Demeam esse, qui vitio mihi daturus sit, quòd in hac mea ingravescente ætate huiusmodi vel scribam, vel cogitem, quæ adolescentibus & pueris relinquenda

linquenda videantur. Nam & ipse filius Dei puerorum praesentia & colloquijs delectatus est, eosq; ad se venire humaniter inuitat, & vult omnes pueris similes fieri innocentia & simplicitate, qui in regnum Dei ingredi cupiant. Ideo libenter & ipse colloquor cum pueris, ad eorūq; me studia & confabulationes interdum demitto, idq; cum multis viris grauissimis, senioq; venerandis, qui non erubuerunt ludere cum pueris, legere cum illis calculos in littore, & vt Poëta inquit, equitare in arundine longa. Spero igitur hasce narratiunculas & fabulas vobis iucundas futuras, & parentibus vestris ac amicis Heroicis nostræ beneuolentiæ & fauoris erga vos significationem fore gratam. Aeternus pater Domini nostri Iesu Christi, qui propter nos puer factus est, sicut inquit Propheta Esaias: Puer natus est nobis, & filius datus est nobis, Emanuel, Illustrissimos dominos principes nostros clementissimos, vos parentesq; vestros, cognatos & amicos omnesq; generosos atque heroicos viros cum incolis omnibus totius inclytæ Hassiæ patrijs, diutissimè conseruet superstites & florentes, vestraque studia ad laudem suam, salutarem & glo-

riofam patriæ, quæ mihi vobiscum communis est, gubernationem, præsidium, & ornamentum, parentum vestrorum totiusq; familiæ generosæ & heroicæ, propriamq; salutem, corporalem & æternam, dirigat, promoueat & secundet, Amen. Bene valete. Datæ Lunæburgæ Saxonix. Anno 1571. Calendis Ianuarij.

AD IUVENTVTEM HASSIACAM  
nobilem & literarum  
studiosam.

*Dedita quæ Musis fulges studiosa iuventus,  
Hassiacæ vera nobilitate solo.  
Accipe Phœbæa quem mittit ab vrbe libellum  
Loßiada exiguum Musa iocosa tibi.  
Adiunctus pueris equitavit arundine longa,  
Nomen cui Sophiæ Iupiter ipse dedit.  
Lælius & Scipio Caietæ in littore conchas  
Legere, vt socero Scauola doctè refers.  
Scauola doctè, Pila ludis sic saepe, sacrarum  
Legum cum studijs te recreare cupis.  
Epugna rediens vires sic legit Achilles,  
Carmina percurrrens pectine grata Chely.  
Pectora non longum tolerant humana laborem,  
Sed requiem placidam cura laborq; petunt.*

*Dulcis*

Dulcia post curas solantur pocula Lyæi,  
 Fabellæ & doctæ cum pietate senes.  
 Fabellæ studijs mistæ grauibusq; Camœnis,  
 Ingenium reparant, ingeniumq; fouent.  
 Ergo his, post studium, vos his reparate parentes,  
 Lœsia quos cecinit parua Thalia iocis.  
 Lœsiadæ est simplex Musa, est patiensq; laboris,  
 Nullus in illius carmine fucus inest.  
 Nescit Pierides, nec Phœbi numen adorat,  
 Vnius in Christi numine numen habet.  
 Hic illi semper Deus est, Deus ille manebit,  
 Atq; huic verus opem, Christus, Apollo, dabit.  
 Hic fons est solus, vena vnde pœtica manat,  
 Omnis in hunc cursu diuite vena fluat.  
 Aonis huic Phœbo tradit te Lœsia pubes  
 Inclyta, in hoc felix cum patribusq; vale.  
 Talia, cum Phœbes discederet vrbe libellus  
 Paruus hic, Hæsiacum cum peteretq; solum.  
 Fœdere Pieridum dulci sociata iuuentus  
 Phœbæa, Hæsiacæ carmina parua dedit.  
 Carmina, quæ veteri gratam testantur alumno  
 Mentem, atq; Hæsiacis pectora iuncta scholis.

FABELLA IOCOSA DE LEO-  
 ne confessario animantium.

Consilio quondam Leo confessarius inter  
 Communi pecudes lectus in orbe fuit.

*Accedit primus, sua raptor maxima seuus  
Ridicula exponens, crimina voce lupus:*

Domine, circumiui aliquem gregem  
ouium & rapui arietem pin-  
guem & comedi.

*Talia cui sanctus Leo confessarius inquit,  
Peccati eiusdem conscius ipse sibi:*

Tace frater, nimis habes conscientiam  
strictam: hoc est naturale mihi &  
tibi, & nemo peccat in hoc,  
quod natura dicitur.

*Accedit vulpes fallax quoq;, crimina supplex  
Talibus ex magna simplicitate refert:*

Confiteor me, Domine, sæpe comedisse  
gallos & gallinas ruralium.

*Hunc etiam absoluit leo confessarius omni  
Crimine, se cuius nouerat esse reum.*

Tace, inquiens, frater, non opus est  
illud fateri, quia mihi & tibi  
naturale est.

*Pòst quoq;, peccatum fassurus pauper asellus,  
Accessit trepidus talia verba loquens:*

Semel fui secutus vnum plaustrum fœ-  
ni, de quo cecidit manipulus,  
quem comedi.

*Talia*

*Talia cui trepido durus leo dixit asello,  
Crimine pro paruo magna luenda iubens.*

O indurate & malitiose, tu es spoliator  
stratorum, & viæ regiæ: Nam illud pecca-  
tum est tam enorme, quòd non potest  
absolui maxima correctione, &  
sic iussit eum flagellari.

*Territus hac asinus truculenta voce leonis,  
Crimina sic pergit dicere plura miser:*

O domine adhuc peiora commisi pecca-  
ta, nam semel sequebar vnum villanum,  
qui habuit stramina in calopo-  
dijs, quæ occultè comedi.

*Horridus hinc clamās miserum leo durus asellum,  
Talibus ad duram iussit adire crucem:*

O fur & latro, nunc tempus est,  
vt suspendaris.

## MORALE.

*Crimina sic inter magni se magna patrantes,  
Plurima prelati dissimulare solent.*

*Paruula sed propter leo ceu condemnat asellum,  
Plebem sic damnant exagitantq; piam.*

FABELLA (SEVRISVS, VT VO-  
carunt, Paschalis) recitata à Mathe-  
sio initio septimæ concionis  
de Luthero.

Exempla indocti monachi narrare solebant,  
 Dogmate pro vero, plurima vana, Dei.  
 Ridendum pueris referam hoc è millibus vnum,  
 Pascha consuerunt quod recitare die.  
 Perdidit vt longum sibi nasum Ditis alumnus  
 Paruulus, in Stygys non bene cautus aquis.  
 Nam mortis victor peteret cum Christus auernũ,  
 Frangeret vt nigri claustra tremenda Dei.  
 Paruulus vt strepitum sensit, longamq; cateruam,  
 Territus est demon pertimuitq; malè.  
 Accedit sensim, cupiens cognoscere quisnam  
 Ditis festinans horrida regna petat.  
 Claustra aperit Ditis, longa proboscide, nasum,  
 Quà patet, immittit, ianua nigra, suum.  
 Cum procul aspexit victricia signa ferentem  
 Heroem, cœtu concorritante Deum:  
 Territus occludit subitoq; repagula firmat,  
 Incautus nasum comprimit atq; suum.  
 Exclamat miserè, perit heu mihi nasus, adeste  
 Auxilium naso vos rogo ferte meo.  
 Dæmones accurrunt hastis gladijsq; præustis,  
 Auxilium vt fratri præsidiumq; ferant.  
 Hærentem foribus miserum nasumq; fluentem  
 Sanguine, per stygij limina nigra vident.  
 Quis rogitant nasum foribus colliserit arctis,  
 Ille ait, hei tanti sum mihi causa mali.  
 Stulte, quid inclamas, fratres dixere nigelli.  
 Non perit indignè, quem sua culpa necat.

Dæmoni.



Demonium infelix nasum sic perdit aduncum,  
 Longus quo temo vix magis vllus erat.  
 Demonium foribus lacerum nunc haret auerni,  
 Fracto de naso flensq; dolensq; suo.  
 Hæc monachus referens, nutantem vt vertice ple-  
 Excitet, ingenti voce sonoq; boar: (bem  
 Ignis adest: populus trepidans cum querit vbi sit:  
 Sede ait in stygia plurimus ignis adest,  
 Fabellis monachi miserum lusere popellum,  
 Somnia tradentes sic nisi vana nihil.

NARRATIO RIDICVLA DE  
 rusticis Marshufianis.

Marshusia est vicus Phœbes sabulosus in oris,  
 Vrbs vbi Dannorum nomina montis habet.  
 Rusticus hîc cœtus finxit sibi somnia vana,  
 Somnia, quæ referam sub breuitate tibi.  
 Ducere solennis mos est conuiuia, zythi  
 Assueto, & tinnas euacuare nouem.  
 Hoc epulo fieri credens, ne percitæ ab æstro,  
 Vaccæ discurrant per vaga prata suæ.  
 Hoc magis vt stulti credant, epulumq; quotannis  
 Vt repetant, vana est sic magis aucta fides.  
 Somnia ruricolûm Christi cum pastor inaudit,  
 Reprendit crebrò somnia vana virûm.  
 Ne credant vaccas æstro non currere ob illud,  
 Tinnas quòd soleant euacuare nouem.

Reprensi tandem cessant de more quotannis  
 Ruricolæ tinnas euacuare nouem.  
 Hinc rursus incipiunt actæ discurrere ab æstro  
 Vacca, per montes lata q̄ prata suæ.  
 Agricola mœrent, epulum repetunt q̄ quotannis,  
 Et tinnas vacuant, moris vt antè fuit.  
 Hinc cessant subito vacca discurrere ab æstro  
 Actæ, ridiculum, demonis arte nigri.  
 Demonis arte nigri multi sic somnia fingunt  
 Vana sibi, & vanam credulitate fidem.

NARRATIONES ALIQVOT  
 iucundæ & lectu vtilis.

I. DE DAEMONIO IMPIN-  
 gente alapam Rustico.

Lutherus in postilla de natiuitate Christi,  
 Cùm fragili primùm limo formasset Adamum,  
 Hæc dedit omnipotens iussa verenda Deus:  
 Ne fructum attingat media qui stabat in horto,  
 Arboreum, prauis noticiæ q̄ boni.  
 Hoc quocunq; die auderet mox esse, futurum  
 Aeterna mortis supplicij q̄ reum.  
 Hei violat Domini malè cautus iussa, cadit q̄  
 Cum sobole in mortem supplicium q̄ graue.  
 At hominis magna lapsi bonitate misertus,  
 Hunc recipit Gnato mox mediante Deus.

Gnatus

Gnatus qui seuum Sathana caput atterat atri,  
 Deleat & mortem, iustitiamq; ferat.  
 Tempore qui Gnatus iusto demissus Olympo,  
 In Bethlem casta est virgine natus homo.  
 Sancta sinu è patris profert hic dogmata adultus,  
 Miraculis firmat dogmata sancta suis.  
 Hinc moritur λύτρον pro mundi crimine soluens,  
 Agnus vt innocuus crimina nostra luit.  
 Mortuus hinc Stygium victor descendit ad Orcū,  
 Mortem deuincens tartareumq; canem.  
 Hinc rediens hostem captiuum duxit in altum,  
 In cœlumq; vehens agmina sancta patrum.  
 Vnde suis sanctum misit Spiramen in orbem,  
 Solamen duris præsidiumq; malis.  
 Atq; Euangelion toto post tradere in orbe,  
 In se mandauit, cum pietate, fidem.  
 Qui sibi confidat sacrata mersus in vnda,  
 Hic habeat cœli gaudia lata fide.  
 Aetherea Gnatus demissus ab arce parentis,  
 Carnea de pura virgine membra capit.  
 A veteri moriens culpa nos liberet, atq;  
 Restituat vitam iustitiamq; nouam.  
 Est hæc summa Dei nos erga gratia patris,  
 Quod supera Gnatum misit ab arce suum.  
 Est amor hic ingens Gnati, quod missus in orbem,  
 Pro nobis patitur vulnera, flagra, necem.  
 Non Deus angelicum semen, sed semen Abrahæ  
 Assumpsit, casta virgine natus homo.

Gloria

Gloria censetur, generosa stirpe parentum,  
 Et genus à claro ducere rege suum.  
 Gloria sed quanta est, nostro de sanguine summus  
 Quòd sumpsit carnem, sanguinem, et ossa Deus?  
 Est Deus aeternus noster pater ipse benignus,  
 Nos sumus in Gnato pignora chara Deo.  
 Sed decus hoc ingens homines quàm pectore pauci  
 Agnoscunt grato concelebrantq; Deum.  
 Quod tamè agnoscunt melius, mirantur & optāt,  
 Demones in Stygijs, turba maligna, focis.  
 Nam pia cùm quondam canit hæc Ecclesia verba,  
 Est Deus è casta virgine natus homo.  
 Atq; stetit populus veluti Marpesia cautes,  
 Non venerans flexo talia verba genu:  
 Vnus hic colaphum Sathanas impingit in ora,  
 Et simul increpitans talia verba sonat:  
 Trunche, quid immotus veluti Marpesia cautes  
 Stas, nec ad hæc flectis verba verenda genu?  
 O foret hæc nostro generi data gloria tanta,  
 Gloria quam vobis contulit ipse Deus:  
 Prostratum terris grates noctesq; diesq;  
 Diceret hæc tanta pro bonitate Deo.  
 Vos, generis quorum tanta est præstantia, duri  
 Negligitis tamen hæc munera tanta Dei.  
 Ista quidem forsàn non sunt à Demone dicta,  
 Hostis is est noster quòd manet atq; Dei.  
 Qui tamen hæc finxit, docuit sub imagine, nostri  
 Sit generis coram gloria quanta Deo.

Qua nq;

*Quamq̄ Dei agnoscunt hoc grato pectore pauci  
Munus, quod superat totius orbis opes.  
Filius eternus noster quod frater in orbe est,  
Nosq̄ sumus summo pignora chara Deo.*

IN IMAGINEM SEV PICTVRAM  
*veterem sanctæ & indiuiduæ Trinitatis.*

PATER.

*Dilexi te, disce diligere me.*

FILIUS.

*Ex me tua est dignitas.*

SPIRITVS SANCTVS.

*Mundatus es à peccato, noli rursus peccare.*

AD LECTOREM.

*Aspice quæ Triados sint lector munera sanctæ,  
Munera, quæ in nostrum contulit illa genus.  
Munera quis Triados satis hæc perpendit et optat,  
Quæ superant cunctas totius orbis opes.*

VISIO CARPI EPISCOPI,  
quam recitat Dionysius Areopagi-  
ta, in Epistola ad Demo-  
philum.

*Carpus in antiqua venerandus Troade præsul,  
Eximia in Christum vir pietate fuit.*

Disci-

Discipulus longo carus cui iunctus amore,  
 Et iunctus vera religione fuit.  
 Deserit hic rursus vir sanctus Apostata Christum,  
 Gentiles venerans, numina tetra, Deos.  
 Carpus vbi nulla posset ratione mouere,  
 Ad Gnati redeat dogmata sancta Dei;  
 Discipulum diris crebro deuouit, & illum  
 A quo seductus vir fuit antè, pius:  
 In somnis tandem vidit quòd terra dehiscat,  
 Et pateat Stygijs vasta vorago focus,  
 Et veniant bini Stygij de sede dracones,  
 Desuper armati, turba tremenda, viri.  
 Qui capiant illos, Stygias trudentq; seroces  
 Ad sedes, miseris excrucientq; modis.  
 Latatur Carpus, pœna quòd dignus vterq;  
 Tartarea meritò sic cruciandus erat,  
 Sic vbi latatur præsul, vox personat illa  
 A tergo, præsul respice Carpe, tuo.  
 Respicit, et Christum videt, hac qui verba benigno  
 Ore dedit, magna pro bonitate, viro:  
 Carpe, quid his optas miseris, quid mille dolores,  
 Ad Stygios gaudes Carpe quid ire focus?  
 Si mea non etiam his satis esset mors redimendis,  
 Quæq; ego pro mundo vulnera multa tuli:  
 Non ego pro miseris eadem perferre recusem,  
 Prosequor humanum tantò ego amore genus.  
 Sic didicit Carpus cunctis optare salutem,  
 Non mortem miseris, non Stygiosq; focus.

Quæq;

*Quæq; sit in miseros Christi propensa voluntas,  
Qua veniam in Christo qui resipiscit habet.*

DE MAVRITIO CAPPADO  
doce Imperatore,

*Imperij Caesar dictus Mauritius olim,  
Gentis Cappadocum clarus in orbe fuit.*

*Pralia qui Persas contra Mauritia gessit  
Felix, imperij spesq; decusq; sui.*

*Principio felix regno Mauritius, atq;  
Clemens in populum, munificusq; fuit.*

*Factus post subito crudelis cade nephanda,  
A Cagano tolli millia multa sinit.*

*Victor hic exiguo redimendos obtulit ere  
Captos, quod reuult cæcus auaritia.*

*Ergo cum natis quinq;, & cum coniuge chara,  
Hunc miserum Phoca sæue Tyranne necas.*

*Prodigijs multis sub mortem est territus, atq;  
In somnis talis vox truculenta tonat:*

*Tempore ne pœnas hoc vis, an ferre futuro?*

*Ad quam sic trepidus verba dolensq; refert:*

*Amator miserorum Deus, hinc redde  
mihi malum meum, vt in  
futuro parcas.*

*Eligitur sauns post Thrax pro Cesare Phocas,  
Miles qui clari Caesaris antè fuit.*

*Insequi-*

Insequitur Phocas celebrem ad Chalcedonis urbē.  
 Crudeli dominum concomitante manu.  
 Cum natis capitur quinq; & cum coniuge chara,  
 Quos subito Phocas sustulit ense ferox.  
 Aspectat tacitus tristi suspiria ducens  
 Pectore, cum gladius pignora quinq; ferit.  
 Offert hei natum feriendum hic sedula nutrix,  
 Regia quo maneat stirpsq; genusq; piū.  
 Reppulit hac seua nutricem voce Tyrannus:  
 Cesareo huc prolem sanguine ferto satum.  
 Inclyta cum coniunx ferienda adducitur, ille  
 Ad Dominum lachrymans talia verba refert:  
 „ Iustus es Domine, & rectū iudiciū tuum.

DE SANCTO ANTONIO E-  
 remita, quærente quid agat,  
 vt saluetur.

Quid faciat, quærit per sæpe Antonius olim,  
 Cæli quò dentur gaudia leta sibi.  
 Pauperis in somno est doctus sub imagine sancti  
 Sutoris, qua sint astra petenda via.  
 Tractabat corium sutor, crepidasq; suebat,  
 Coxit & huic vxor prandia parua viro.  
 Ante opus orabat, prolemq; orare docebat,  
 Lactabat coniunx pignora chara sinu.  
 Hic didicit domino placeat quæ vita supremo,  
 Qua via sit cunctis cœli adeunda pijs.

Ipsa



Ipsa via est Christus ducens ad gaudia cœli,  
 Nil opera hîc profunt, duraq; vita nihil.  
 Vita placens domino est manibus sibi querere vi-  
 Et facere officij munia quemq; sui. (ctum,  
 In cunctis Domino se commendare potenti,  
 Prospera seu donat, seu mala ferre iubet.

DE FOENIS DAMNATO-  
rum æternis.

Quod damnatorum pœnæ non tempus in vllum  
 Finis erit, veteres sic retulêre pÿ.  
 Vnus si cumulus mundus congestaq; terra  
 Moles, & ponti putris arena foret.  
 Atq; animæ Stygijs detentæ sedibus Orci,  
 Essent à domino talia dicta Deo.  
 Hanc vbi congestam molem per singula arenæ  
 Grana, auis in longum vexerit vna locum.  
 Annos post mille hinc sibi tollens granula bina,  
 Granula, quæ tanta pars quota molis erunt?  
 Hæc anima in Stygijs speraret sedibus ardens  
 Pœnarum finem & gaudia leta poli.  
 Quod numeris constat, numeris finitur iisdem,  
 Non finem æternum, non numerosue tenet.  
 O si homines pœnas perpendant esse futuras  
 Aeternas, Stygijs sedibus vsq; sibi:  
 Peccarent faciles minus, & reuerentia maior  
 In mundo & probitas nunc pietasq; foret.

DE DIFFICULTATE ORAN-  
di, mente ab omnibus curis  
libera.

Difficile est vacua cunctis effundere mente  
Curis ad Dominum vota precesq; Deum.  
Ne dubites, illud celebris Bernhardus in orbe  
Exemplo docuit proposuitq; nouo.  
Affirmat Domini formam, qua nomine fertur,  
Se vacuum quidam dicere posse precum.  
Bernhardus deponit equum, non posse precari,  
Hunc curis vacua mente animoq; Deum.  
Accipit hic pactum latus, speransq; caballum,  
Orare incœpit verba verenda Dei.  
Orandi mediam cœpit cum dicere formam,  
Cogitat anne etiam frena daturus erit.  
Non vacua agnoscens curis se mente precatum,  
Ad sanctum dixit talia verba virum:  
Perdidi equum fateor, stultus, vir sancte, precãdo,  
Incidit, an pariter frena daturus eras.  
Incidit oranti semper cacodæmonis arte,  
A domino vertat quò pia vota Deo.  
Incidit huic, vxor valeat, valeant ne & amici,  
In fœnus redeant mille talenta data.  
Cogitat hic orans, redeat ne nauis onusta  
Mercibus, è terris, per mare vecta, nouis.  
Cogitat hic merces magno quo vendat adeptas,  
Auri quo cumulet pondera multa sibi.

DE

DE MONACHO PETENTE  
sibi indicari, quod genus vitæ Deo  
maximè placeat.

*A Domino petijt Monachus sibi signa referri,  
An placeat vitæ quod genus ipse colat.  
Hanc vocem tandem venientem cœlitus audit,  
Quæ docuit placeat quæ sibi vita Deus.  
Da mediam lunam mihi, da solem  
& canis iram,*

*Grammata designant C, O, R trina petenti,  
Vocem quæ cordis grammata iuncta notant.  
Luna refert nona C, est solis forma rotunda,  
R canis irati littera nomen habet.*

*Non opus externum gratum est, non vota precesq̃  
Sunt rata, ni vero corde fideq̃ fluant.*

DE D. AVGVSTINO ADMO-  
nito à puero, ne scrutaretur  
diuinitatem.

*Nomine ab Augusto dictus qui doctor in vrbe  
Hippone, & toto clarus in orbe fuit.  
Scrutatur, quid sit Deus, & quod trinus & vnus,  
Querit & immensi quæ sit origo Dei.  
Hac vbi scrutatur conspexit forte puellum,  
Qui maris in foueam fundere cœpit aquam.  
Quæ situs, quid agat, respondit paruulus ille,  
In foueam hanc fundam flumina tota maris.*

Doct̃or ait, frustra capis hanc puer optime curam,  
 Non capit immensum paruula fossa mare.  
 Multo ait, ô Doct̃or, minus hæc qua mente volu-  
 Scrutari humana tu ratione potes. (tas,  
 Paruulus his dictis, tenues discessit in auras,  
 Haud dubiè Christus paruulus ille fuit.

DE QVODAM COMITE VA-  
 scono bonorum Ecclesiæ raptore.

Vasconum quondam Comes impius egit in oris,  
 Qui fecit sanctis plurima damna Dei.  
 Coetibus eripuit Christi bona sæpe sacratis,  
 Non parcens mystis Christicolisq; viris.  
 Sed non vlla manent sine dignis crimina pœnis,  
 Pœnas ante pedes impius omnis habet.  
 Hic ita cum quodam conuiuas tempore raptor  
 Inter agit letus, potat, ouatq; suos:  
 Ecce venit Stygijs eques ater missus ab oris,  
 Ante fores sistens euocat inde virum.  
 Me sequitor, dicens, ego te quocunq; vocabo,  
 In Stygio raptor carcere noster eris.  
 Mox equitem sequitur surgens ad limina raptor,  
 Irato properans ad sua damna Deo.  
 Astat equus Stygijs vnà qui venit ab vndis,  
 Aspectu horrendus luminibusq; ferox.  
 In quem subreptus subitò defertur in auras,  
 In quibus hæc pendens verba notanda dedit:

Hei

*Hei misero auxilium mihi contra Dæmona, ciues  
 Ferte precor, Stygios heu feror ecce focos.  
 Hac vbi dicta dedit miseranda voce per altum,  
 Subticet, ad Stygias sic homo vectus aquas.  
 Sic omnes pereant, rapiunt qui sacra, profani,  
 Quiq; premunt sanctos, maxime Christe, tuos.*

**DE DOCTORE PARISI-  
 ensi impio & blasphemio in  
 filium Dei.**

*Parisijs doctor Taraco de gente superbus,  
 Et Paphia fædo notus amore deæ.  
 Multa vbi de multis dixisset vana, Sophistas  
 Doctores inter, vaniloquosq; viros:  
 Blasphemus tandem cœpit quoq; fundere contra  
 Aeterni hæc gnatum verba nefanda Dei:  
 Tres mundum sectis suis & dogma-  
 tibus peruerterunt,  
 Moyses.  
 Iesus.  
 Mahometes.*

Moyses primò Iudaicum populū infatuauit.  
 Iesus à suo nomine Christianos.  
 Mahometes gentilem populum.

*Hæc dicens subitò tanto pro crimine pœnas,  
 Quas meruit, Christo, Doctor in orbe dedit.*

Nam cadit ex animis cecus mutusq; repente,  
 Sicq; iacet trepidus mutus inersq; diu.  
 Damnatum expirans clamat se sepe, quod ipsum  
 Blasphema in Christum verba locutus erat.  
 Vindice sic pereas Christo, quicumq; prophanus,  
 In Christum gaudes verba nefanda loqui.  
 Sic perijt Latomus malesanus, sepe locutus  
 In gnatum aeterni verba nefanda patris.  
 Sic Leo Romanus perijt, cui fabula Christi  
 Dogmata ridenti sancta fuere Dei.  
 Fabula, quae nobis, dixit, tot millia nummum  
 Teutonide è terra, munera grata, tulit.

TYPVS AMICITIAE ET AMORIS  
 coniugalis.

Coniugij quondam virtutes docta vetustas  
 Sic formam, & vera pinxit amicitiae.  
 Stat iuuenis forma depictus vertice nudus,  
 Cui toga vix corpus contegit omne rudis.  
 Aestatem atq; hyemem frons canam lucida praefert,  
 Tempora quae solis mobilis annus habet.  
 Atq; latus digitis ostentat, corq; reiectum  
 Ostentat medium, quae latus omne pater.  
 Haec digitis offeri (longè, propè) verba notanda,  
 Inq; latus laeuum brachia ducta trahit.  
 Qua iuuenis corpus tenui velatur ab imo,  
 Et vitam & mortem simbria vestis habet.

Hac dubitas forsā quid imagine docta vetustas  
 Signarit: paucis sic tibi lector habe.  
 Forma notat iuuenis flammās in pectore amoris,  
 Quas erga sponsam sponsum aluisse decet.  
 Semper amor vireat, sit veros inter amicos,  
 Et vireat sponfos inter amorq̄<sub>3</sub> pios.  
 Vertice signatur nudo, sit vt vsus apertus  
 Rerum cunctarum, quas sibi amicus habet.  
 Veste rudi signat iuuenis, ne propter amicum  
 Esse neges nudus pauperiemq̄<sub>3</sub> pati.  
 Aspera hyems aestasq̄<sub>3</sub> monent, vt amicus amico  
 Fortuna certum praestet vtraq̄<sub>3</sub> fidem.  
 Aestatem vt comitatur hyems, sic sunt in amore  
 Tristia cum letis, sunt mala iuncta bonis.  
 Cor monet ostensum, nihil vt quis celet amicum,  
 Corpore disiunctis cor sit & vnus amor.  
 Longè siue propè est, iunctus sit semper amicus,  
 Qui perijt nexus non amor ille fuit.  
 Fimbria quæ vitam tenet & circumdata morte,  
 Duret amor mortis tempora adusq̄<sub>3</sub> monet.

ACCOMMODATIO TYPI AD  
 amorem filij Dei erga Ecclesiam.

Sic iuuenis verum forma depingit amorem,  
 Forma simul iuuenis mystica multa tegit.  
 Gnatus enim summa sic venit ab arce parentis  
 Ad nos nudatos nudus inopsq̄<sub>3</sub> Dei.

Frigora pro nobis expertus, solis & æstus,  
 Et nostræ carnis debile sensit onus.  
 Lancea transfixit pectus quod ferrea mite,  
 Ostendit nobis cor placidumq<sub>3</sub> suum.  
 Pectus, & ostendit nobis mentemq<sub>3</sub> parentis,  
 Mirando nobis iunctus amore sui.  
 Nos iuuat atq<sub>3</sub> preces nostras exaudit ubiq<sub>3</sub>,  
 Seu longè credas, seu propè adesse Deum.  
 Mortem destruxit moriens vitamq<sub>3</sub> reduxit,  
 Nobis est gnatus vita salusq<sub>3</sub> Dei.  
 Noster hic est sponsus, sibi quos sociavit amore  
 Aeterno, casta virgine natus homo.

TYPVS SEV IMAGO GRADV-  
 um trium vitæ humanæ, ex Naucle-  
 ri generatione prima.

Condidit omnipotens ubi res quascunq<sub>3</sub> creator,  
 Quas mare, quas tellus, quas tenet atq<sub>3</sub> polus.  
 In tria distinxit sapiens hæc munera, vita  
 Quæis hominum regitur, quæis retinetur honor.

Munus { 1. Docendi, der Lehrstandt.  
 2. Regendi, der Berstandt.  
 3. Alendi, der Nehrstandt.

Sem doctor populi, fortis defensor Iaphet,  
 Rusticus ast Chamus pascere munus habet.  
 Hæc Deus è celso prospectans summus Olympo,  
 Munera mandauit fratribus ipse tribus.

Deus.



## DEVS.

Sem Iaphet Cham  
*Tu supplex ora, tu protege, tuq<sub>3</sub> labora.*

*Hæc Sathanas contra Stygius peruertit iniquus,  
 Nullus vt efficiat munus in orbe suunt.*

## SATHAN.

Sacerdos miles Rusticus  
*Tu fornicator, tu prædo, tuq<sub>3</sub> locator,  
 Esto, Dei contra iussa verenda tui.*

DE CAUSIS ELECTIONIS  
 Christianorum à Turcis, ex Asia &  
 vicinis regionibus.

*Byzanti quondam Soldanus in vrbe tyrannus,  
 Christicolam seu a talia voce rogat:  
 Dic mihi, Christicolas his vos cur iecit ab oris,  
 Et dedit hîc nobis ditia regna Deus?  
 Non, vbi respondit se causam scire, tyrannus,  
 Eloquar hanc, dixit, si petis, ipse tibi.  
 Annos ante decem, Gallorum regis in aula,  
 Gallica me misit discere verba pater.  
 Hîc ego tum legem didici moresq<sub>3</sub> nefandos,  
 Christiadum spectans turpia facta puer.  
 Gnatas luxuria, pro nummis atq<sub>2</sub> sorores,  
 Vxorum & summum est prostituisse decus.*

Ebrietas, luxus, amor auri, fastus & ira,  
 Vulgò regnabant, insidie atq; gula.  
 Hæc vos his terris eiecit, crimina propter,  
 Crimina quæ potuit non tolerare Deus.  
 Non igitur gentis fuit hæc sapientia nostræ,  
 Non vires, Domini sed grauis ira fuit.  
 Non formidamus regis, non Cæsaris arma,  
 Vllius vestri robur & arma ducis.  
 Annales referunt nostri, quòd nomine Cæsar  
 Otto Christiadum surget in orbe potens.  
 Terram qui Solymæ sanctam qui vincet et urbem,  
 Orbem Christiadum restituetq; pius.  
 Saxonie Ottonem nostra hunc gens esse putabat.  
 Armis qui toto clarus in orbe fuit.  
 Otto sed hic nuper fatis discessit ad astra,  
 Atq; solum nobis vrbs Solymæq; manent.  
 Quin vires nostræ sunt auctæ tempore ab illo,  
 Turcica gens crescit quottidieq; magis.

DE CAUSIS INTERITVS  
 Carthaginis oraculum.

Romanos contra Pœni cùm bella gerebant.  
 De belli euentu consuluere Deos.  
 Post triduum iussi, redeunt ad fana Deorum,  
 Ut noscant vrbs fata statuta sua.  
 Marmoreo quorum venerando in limine versus,  
 Obscuros elegos hos duo fortè vident:

Teri

Ter, tria, trinam, senam, vndenam, vicensam,  
 Et citò percipies vrbs tua quando ruet.  
 Versu de primo dubitantes ire iubentur,  
 Urbis ter circum mœnia clara sua.  
 Sic etenim obscuri quæ sit sententia versus,  
 Urbis quæ maneant fataq; certa scient.  
 Littera nam terna, sexta vndena & vicensa,  
 In portis serie ter triplicata dabit.  
 Interitus causæ quæ sint, quas clarus Apollo  
 Obscuro vobis carmine ritè canit.  
 Iussi vbi eunt, muros venerantes numina circum  
 Quatuor in portis talia verba legunt.

## 3. C. in porta Orientali.

Charitas, castitas, compassio refrigescunt,  
 Census, caro, crudelitas, incalescunt,  
 Consilium, concordia, coniugium, euanescent.

## 6. F. in porta Meridionali.

Fortes, fideles, famosi regnauerunt,  
 Falsi, feri, fatui, successerunt,  
 Fures, fallaces, fœminei succreuerunt.

## II. L. in porta Orientali.

Lux veritatis latet sub liuore  
 Laus sanctitatis languet sub labore  
 Lex ciuitatis luget sub latore.

## 20. V. In porta Septentrionali.

Vxor

*Vxor, voluptas, vsus nunc prauauerunt,  
Virtus, vigor & valor nunc euauerunt,  
Usura, vates, & vanitas insonuerunt.*

DE CAROLI MAGNI ET AY-  
galli Saracenorum Regis inter se  
inito fœdere.

*Carolus est Cæsar dictus qui nomine Magno,  
Iustitia belli magnus & arte fuit.  
Hic regem contra Saracenum bella Aygallum  
Gessit, & è pugna saepe trophæa tulit.  
Hos ergo lata est placidè lex inter vtrosq;  
Victoris capiat victus & ipse fidem.  
Viceni primo iuncti certamine pugnant,  
Christicola quorum lata trophæa ferunt.  
Quatuor hinc pugnant etiam quo Marte secundo  
Victores, Domino sunt duce Christicola.  
Iuncti hinc centeni quo gens certamine vincit  
Impia, Christicolas disycit atq; pios.  
Milleni tandem iuncti sunt Marte furente,  
Pugna hac victores sunt quoq; Christicola.  
Victum se agnoscens statuebat rex Aygallus,  
Christiadum amplecti dogmata vera Dei.  
Excipit hunc Cæsar mensa, dapibusq; benignis,  
Gaudens de tanto Christicolaq; viro.  
Prelati, monachi pingues, pinguisq; sacerdos  
Cæsar in mensa discubuerè simul.*

Pannof

Pannosi iuxtà tredecim miseriq<sub>3</sub> iacebant  
 In terris, facies quèis macilenta fuit.  
 His cibus & potus tenuis paucusq<sub>3</sub> dabatur  
 Caesaris è mensa, reliquijsq<sub>3</sub> viris.  
 Pannosi, quærit, qui nam sint rex Aygallus,  
 Regi cui Caesar talia dicta dedit:  
 Gens sunt sancta, Dei populus, Christi<sub>3</sub> ministri,  
 Illi quos potu, sustineoq<sub>3</sub> cibo.  
 Noster Apostolicos quales sibi Christus in orbe,  
 Elegit magna pro bonitate viros.  
 Ergo ait, ô Caesar, melius tu pasceres illis  
 Seruis, quos vestis, pascis alisq<sub>3</sub> Dei.  
 Delicijs viuis vestire ostroq<sub>3</sub> superbo,  
 Frigore sed pereunt hi intereuntq<sub>3</sub> fame.  
 Ergo tuam falsam ostendis legemq<sub>3</sub> fidemq<sub>3</sub>,  
 Qui proprij famulos sic alis ipse Dei.  
 Caesaris his dictis clari decessit ab aula,  
 Ethnica gentilis numina, vt antè, colens.  
 Caesar post Christi cœpit tractare ministros,  
 Atq<sub>3</sub> inopes melius veste, ciboq<sub>3</sub>, pios.

DE HENRICO QVARTO  
 probante coniugis fidem.

Cœperat Henricus quodam sic tempore Quartus  
 Noscere fallaci coniugis arte fidem.  
 Coniugis vt miles, forma qui claret in aula,  
 Amplexus mandat concubitusq<sub>3</sub> petat.  
 Compellat

Compellat miles dominam, illicitosq; hymenæos  
 Offert, & Domina supra nefanda sus.  
 Denegat hoc coniunx facinus committere casta,  
 Ne violet casti fœdera casta thori.  
 Post ubi cognoscit fraudem insidiasq; mariti,  
 Insidias contra tendere docta parat.  
 Callida, quod petijt miles, promittit & offert,  
 Cùm peregrè coniunx iuerit ipse suus.  
 Coniugis Henrico miles reserebat adulter  
 Tædas promissas furti q; grata sibi.  
 Caesar post simulat serum sub noctis ab arce  
 Discessum, rediens attamen vrbe later.  
 Militis hinc vestes indutus Caesar, adibat  
 Coniugis ad casta tecta thorumq; sua.  
 Virgineo coniunx vestitu legerat antè  
 Cum telis iuuenes, cum baculisq; sibi.  
 Militis vt tundant corpus venientis, & ora,  
 Qui tentet Domine commaculare thorum.  
 His tundunt ergo baculis, telisq; fatigant  
 Cesareum fortes corpus & ora diu.  
 Parcite contusus bene, queso parcite, clamat,  
 Virtuus, ô coniunx, sum, mihi parce rogo.  
 Agnitus à cunctis Caesar digneq; reprehensus,  
 Coniugis eximiam laudat amatq; fidem.

## EXEMPLVM DICTI,

Allmuseu geben armee  
 nicht.

Casaris

Caesaris Ottonis coniunx veneranda secundi,  
 Pauperibus columen praesidiumq; fuit.  
 Inclytus hanc coniunx Caesar persaepe reprehendit,  
 Prodigia quod nimium munera dando foret.  
 Hoc probet & vincat, mendicus is inter egenos  
 Pannosus sedit munera parua petens.  
 Coniunx cum venit paschali tempore amicta  
 Vestibus auratis purpureisq; pia,  
 Caesar ait, nudo manicam, qua fulsit ab auro,  
 Hanc mihi pro magna des pietate, rogo.  
 Abscidit hanc subito mendico donat egeno,  
 Non dominum hac credens veste latere suum:  
 Caesar mox abiens, vestem mutauit egeni,  
 Caesarea assumpta veste nitente sibi.  
 Accumbens mense sancta cum coniuge Caesar,  
 Caesar mendicus qui modo egenus erat.  
 Huc, ait, o coniunx, vestem mihi profer amicta  
 Qua modo fulgebas templa sacrata petens.  
 Hic trepidat metuitq; sibi sanctissima coniunx,  
 Quod manica abscissa tunica manca fuit.  
 Instat cum Caesar, vestis profertur, vt ante  
 Integra, cui non pars vlla resecta fuit.  
 Miratur Caesar, coniunx miratur & ipsa,  
 Nam manicam abscissam nouit vterq; pius.  
 Territus hinc manicam Caesar produxit & illam,  
 Mendico coniunx quam dedit ante sibi.  
 Quo motus, pia, miraclo, permisit vt vxor,  
 Pauperibus vellet quae bona cunq; daret.

DE

DE CAUSIS MALORVM ET  
calamitatum mundi, Quæstio regis  
cuiusdam, & sapientum eius se-  
ptem responsio.

*Rex quondam sapiens, quare sit in orbe malorum  
Tantum, miratur condoluitq; diu.  
Quos habuit septem claros sapientia in aula,  
Quæ sibi sit iussit dicere causa viros.  
Causam se dicunt sapientes noscere portis  
Velle, quibus populus discere iura solet.  
Annum post actum, redeuntes regis in aulam,  
Causam sic dicunt ordine quisq; mali.*

RESPONSIO SAPIEN-  
tum septem.

1. Potentia facta est iniustitia, ergo terra est sine æquitate.
2. Præpositus est fur, ergo terra est sine diuitijs, & repleta malitijs.
3. Dies est nox, ergo regnum est sine religione, & status spiritualis fit secularis.
4. Quia quod nigrum est habetur album, ergo terra tua est absq; virtute.
5. Prælati cœci sunt, & sine oculis, ergo regnum tuum est sine lege.
6. Veritas occisa est, ergo terra repleta est falsitate.
7. Deus mortuus est, ergo terra repleta est malitijs



malitijs hominum, iuxta illud psalmi: Non  
est timor ante oculos eorum. Et: Dixit insipi-  
ens in corde suo, non est Deus.

*Inclyte, sunt dicunt, ô rex, hæc causa malorum  
Plurima, quæ patitur mundus ubiq<sub>3</sub> malus.  
Quæ mala si regno posses extollere prorsus,  
Regnum tam felix perpetuumq<sub>3</sub> foret.*

DE HOMINE PIO DIVITE  
absque labore.

*Diues erat quondam multo pius absq<sub>3</sub> labore,  
Prosper & in cunctis actibus ipse suis.  
Inuidia ducti terra quem talia querunt  
Aerumnis pressi pauperieq<sub>3</sub> viri.  
Dic, diues cur sis, vicine, laboribus absq<sub>3</sub>,  
Inter quos inopes nos miseriq<sub>3</sub> sumus?  
Quinq<sub>3</sub> ego sum, dixit, felix opibusq<sub>3</sub> redundo,  
Prospera vt eueniant quæ gero cuncta mihi.  
Thesaurum inueni, pluit, & Sol lucet olympto,  
Tempore quo prodest quo cupioq<sub>3</sub> mihi.  
Horrea habet cælum, sedet Orcus tristis ad ignem,  
Aedibus hæreticus sum vocitorq<sub>3</sub> meis.  
Est equus & terræ domino sapientior ipso,  
Qui vebit & portat quæ volo cunq<sub>3</sub> mihi.  
His ego sum diues nullo felixq<sub>3</sub> labore,  
Quæq<sub>3</sub> gero eueniunt prospera cuncta mihi.  
Vicini inuidia (nihil est quo peius in orbe)  
Ducti, hæc ad Dominum dicta superba ferunt.*

Aduocat hinc hominem, ductus nouitate, iubetq;  
 Edere qua dixit, quid sibi verba velint.  
 Talia qui Domino respondens ore faceto,  
 Exposuit sensu verba relata pio:  
 Thesaurus Christi verbum est absconditus agro,  
 Hunc ego praecantis quarito & opro bonis.  
 Et pluit et splendet sol cum volo, namq; quod ipse  
 Vult Deus vt fiat, semper & ipse volo.  
 Murilegos quoniam multos alo, me voco Ketzer,  
 Heretici simili nomine saepe iocans.  
 Est mihi praua domi coniunx, & tetrrior Orco,  
 Est mala mors Orcus foemina quaeq; viro.  
 Quod mihi equus terra domino sapientior esset,  
 Hac dixi vera sub ratione iocans.  
 Est equus hic sapiens, vnus mihi tardus asellus,  
 Confregit nuper qui sibi crura cadens.  
 Hic cautus voluit nunquam post ire per illum,  
 Confregit lapsus quo sibi crura, locum.  
 Vos domini terrae, corpusq; animamq; subinde  
 Pergitis incauti ledere criminibus.

DE IUVENE PARHISIENSI,  
 qui ebrius vtrunq; parentem instin-  
 ctu diaboli interfecit.

Argento quidam multo cumulatus & auro,  
 Parhisia iuuenis natus in vrbe fuit.  
 Decoquit hic Venere & lusu multoq; Lyao,  
 Helluo quae tenuit plurima dona patris.

syluæ

Sylvas post mœrens petijt nudatus & agros,  
 Vitam monticulas inter agit q̄, feras.  
 Hinc pudor, hinc malesuada fames, hinc vrget ege-  
 Et varias vitæ suadet inire vias. (Stas,  
 Accedit Sathanas, quid, ait, sic perditè solus  
 Inter agis sæuus flens q̄, dolens q̄, feras?  
 Aut laqueo vitam fini, aut te mergito in vndas,  
 Rupe aut excelsa te dato præcipitem,  
 Quid vitam duces inter spelæa ferarum,  
 Desertam in syluis hinc inopem q̄, miser.  
 Cùm neget hoc facinus, Sathanas quod suasit A-  
 Corpori vt inferret funera dira suo. (uerni,  
 Reddã ego opes demon tibi dixit, vtrunq̄, parentē  
 Si intrepida occides gnatus in vrbe manu.  
 Hoc etiam facinus gnatus cùm denegat atrox,  
 Tollere eos sæua qui genuere manu.  
 Argentum, dixit, multum cumulabis & aurum,  
 Quamq̄, tibi nuper copia maior erit.  
 Hebdomade aut zythi tantum aut si sumis Iacchi,  
 Ebrius vt fias mentis inops q̄, semel.  
 Annuit hic Sathana gaudens assuetus Iaccho,  
 Hebdomade euacuat pocula plena semel.  
 Diues fit subitò magis & quo pocula siccat,    ,,  
 Et furit insanus nocte dieq̄, magis.            ,,  
 Diuitia crescunt, augetur luxus, & aucta  
 Diuitia, vitijs dant alimenta malis.  
 Increpuit potum crebrò cùm mater acerbè,  
 Matrem transfigens ebrius ense necat.

Cum pater ob eadem matris reprehendit et ipsum.  
 Ebrietate furens sustulit ense patrem.  
 Cunctorum ebrietas quod fons & origo malorum  
 Sit docet exemplum cadis in orbe trucidis.  
 Quanta sint fraudes Sathanae, conamina quanta,  
 Ducat ut incautos ad genus omne mali.  
 Sobrius immanis quod non vult ante parentem,  
 Ebrius heu gnatus tollit utrumque suum.

## DE IVD AEO GALLICO.

Gallorum regis vixit Iudaeus in aula,  
 Amplexus ritus ethnica turbatus.  
 Hunc rex hortatur, Christi ut se coetibus addat,  
 Sacrata Christi nomine mersus aqua.  
 Haec faciam, dixit, sed ubi urbem videro primum,  
 Maxima qua pietas religioque viget.  
 Urbs qua sit, quaerit rex, haec qua maxima Christi  
 Religio vigeat, qua vigeatque fides?  
 Roma, ait, est: praesul, qua summus fulget & ordo,  
 Qui de praestanti cardine nomen habet.  
 Post abiit Romam binos ubi vixit in annos,  
 His Latiae sedis turpia facta notans.  
 Post rediens sacro petiit se flumine mergi,  
 Lex sibi quod Christi cognita, sitque fides.  
 Hoc ubi Rex quaerit, qui nam cognovit in urbe  
 Ausonia, regi talia verba dedit:  
 Tantus inest luxus Romanae & fastus in urbe,  
 Auritanta fames, pompa nefanda, Venus,

Vt

*Vt nisi qui veri fons est conseruet in illa,  
Non lex hæc duret salua fides q̄, diu.*

DE ALEXANDRO MAGNO, OC  
cidente seruos, qui se ad interficien-  
dum dominum suum Darium,  
in gratiam illius offe-  
rebant.

*Magnus Alexander bellum cùm gessit in oris  
Persidos, & toto victor in orbe fuit.  
Illius hic hostis Darij sine crimine serui  
Promittunt seui si petat ipse necem.  
Hos Macedo victor seruos occidit, ad illos  
Infidos domino talia verba sonans:  
Non domino poterunt alieno illi esse fideles,  
Audent qui regem tollere cade suum.*

DE MORIONE PARHI-  
fensi.

*Parisijs quondam Doctores atq; Sophistæ,  
Rebus de varijs disseruere diu.  
Ad quos ingressus rixantes morio dixit,  
Ostendens stultos vaniloquos q̄, viros:  
Num melius facere est hominem, quod nouit, an il  
Discere quod nescit, dicite quæso mihi. (lud  
Hic orta est inter rixantes pugna Sophistas,  
Quæstio & est multos exagitata dies.*

Post ubi concludunt, melius facere esse, Sophista,  
 Morio sic ludens dicta faceta dedit:  
 Cur igitur factis non vos quae scitis & ipsi,  
 Expletis Domini dogmata vera mei.

DE DVCE FRISONVM  
 Apostata.

Dux est amplexus Christi Friso dogma, Richardus,  
 Tertius imperij cum Leo scepra tenet.  
 Ille pedem dextrum sacri cum fontis in vnda  
 Mergendus posuit, talia verba refert:  
 Dic mihi, quod maior secessit turba meorum  
 Maiorum, in caelos? an phlegetontis aquas?  
 Maior, ubi dixit, pars est phlegetontis in vnda,  
 Quod caruit veri religionis Dei.  
 Hic plantam retrahens sacri dux fontis ab vnda,  
 Maiorem partem, dixit, & ipse sequar.  
 Est homo post triduum sublatu funere tristi,  
 Fallacis mundi gaudia vana sequens.

DE SACRIFICVLO RV-  
 dente.

Cantabat clamans asinina voce sacerdos  
 Missam, se credens psallere dulce melos.  
 Astitit illachrymans mulier, vocemq; sacerdos  
 Altius attollit vociferatq; magis.  
 Namq; suo expressas lachrymas erumpere cantu  
 Credit deuota & commaduiffe genas.

Missam

Missam ubi finiuit credit se voce boante  
 Angelicum Domino concinuisse melos.  
 Accedit, querit, tantum cur fleuerit illa,  
 Missa cum caneret verba verenda Deo.  
 Perditus est, inquit, mihi nuper carus asellus,  
 Plurima qui misera commoda grata tulit.  
 Huius me vocem credebam audire rudentis,  
 Sic asinus fecit me lachrymare meus.  
 Sic asinum magnum probat hic se voce sacerdos,  
 Qui putat angelicum se cecinisse melos.

DE FVRE PRAEMORDENTE  
 matri nasum, à qua furari puer  
 edoctus erat.

Ducitur ob furtum gnatus pensurus ab alto,  
 Quem sequitur mater stensq; dolensq; sua.  
 Mater vt accedat, gnatus rogat vltima tanquam  
 Dicturus matri verba valeq; sua.  
 Cum caput admouit mater, gnatus citò nasum  
 Matri pramordet dente tenace sua.  
 Indignum facinus clamat cum turba sequentum,  
 Spectans hac circum verba notanda refert:  
 Hac mea furari mater malesana docebat,  
 Sic meritò nasum perdidit illa suum.  
 Hac miser ad turbam conuersus verba sequentem,  
 Exemplo, dixit, furti caue meo.  
 Ad meliora patres gnatos assuescite, matres,  
 Ne sit & hac ipsis mors adeunda via.

## DE MORIBVS EBRIORUM.

*Ebrietas motus pariat quos cæca biboni,  
 Antiqui hæc vatis carmina vera docent.  
 Ebrius atq; satur his ecce modis variatur,  
 Hic canit, hic plorat, hic est blasphemus, hic orat.  
 Disputat hic, ille currit per compata villa,  
 Ille loqui nescit, hic cespitat, ille pigrescit,  
 Hic seruit Veneri, somno vult ille teneri,  
 Hic vomit, ille vorat, sic Bachi turba laborat.*

## DE CARDINALE EDENTE

paruos pisciculos, cùm factus  
 esset Papa, magnos.

*Pisciculos paruos comedit de cardine Mystes,  
 Magnos, cùm factus Papa verendus erat,  
 Quæsitus magnos quid edat nunc, antea paruos,  
 Quærenti ridens talia verba dedit:  
 Magni per paruos pisces capiuntur in vndis,  
 Sic ego per paruos magnos sum nactus honores.*

## DE PATRE ROGANTE FILI-

os, vt se datis eleemosynis defun-  
 ctum redimant ex purgato-  
 rio, pro relictis ipsis  
 bonis.

*Diues erat quondam gnatis qui talia ternis,  
 Quos habuit, dixit cùm moriturus erat.*

*Diuitias*



Diuitias vobis gnati multas ego linguam  
 Post mortem, atq; dabo munera multa, meam.  
 Pauperibus potui hac sanctis donasse, iuarent  
 Defunctum vt votis, me precibusq; suis.  
 Vos mihi defuncto quidnam prestabit is olim,  
 Gnati pro tantis dicite diuitijs?  
 Missas promittit primus, missasq; secundus,  
 Defuncto multas inferiasq; patri.  
 Hosce pater laudat, minimus sed risit, ad illum  
 Tu, pater aiebat, quid mihi gnate dabis?  
 Nil pater ipse dabo tibi, dixit, non ego numum,  
 Nilq; tibi fratres hi, mihi crede, dabunt.  
 Nanq; tui obrepet citò, crede, obliuio nobis,  
 Te cum non coràm lumina nostra vident.  
 His dictis, gnatum pater hunc complexus amore,  
 Maiore auderet quòd sibi vera loqui.  
 Et bona, per gnatum monitus post multa benignè,  
 Pauperibus viuens contulit ipse pijs.

DE INGRATIS LIBERIS ER-  
 ga patrem, ijsque ab eo deceptis.

Natos cum nuptum quondam natasq; locaret,  
 Omnia dat pater his que bona cuncta tenet.  
 Sperans quòd gnati sibi quòd gnataq; vicissim  
 Essent laturi commoda magna patri.  
 Sed nihil est gratum, citò gratia disperit omnis,  
 Vnum vix pascunt pignora dena patrem.

Sic patrem senio confectum inopemq<sup>3</sup> repellunt  
 Gnati, quos aluit, queis bona cuncta dedit.  
 Neglectus tandem gnatos hac arte fefellit,  
 Quo sibi præstarent commoda plura pater.  
 Multa clam cistam flaua compleuit arena,  
 Quam monstrans gnatis talia verba dedit:  
 Argento est hæc cista, mihi est auroq<sup>3</sup> referta,  
 Quam pater occultè tradidit ipse mihi.  
 Hanc etiam vobis, si me tractare velitis  
 Quàm facitis, melius commodiusq<sup>3</sup>, dabo.  
 Quisq<sup>3</sup> sibi cistam sperans aurumq<sup>3</sup>, parenti  
 Omne genus certans contulit officij.  
 Defuncto plenam sabulo inuenère parente  
 Cistam, decepti calliditate patris.  
 Stultus is est gnatis qui sic largitur, vt ipse  
 Post egeat pauper, viuat agatq<sup>3</sup> miser.

DE CLERICO CONCIONAN-  
te Prælati in Synodo.

Clericus in synodo prælati dogma daturus,  
 Quid doceat dubitat, quid moveatq<sup>3</sup> diu.  
 Quid Sathanas dubitas dixit, bone Clerice tantū?  
 Talia dic nostro nomine verba viris.  
 Principes inferni salutant principes Ec-  
 clesiæ, læti omnes nos, eisdem nos referi-  
 mus gratias, quia per eorum malam vi-  
 tam ad nos ferè totus mundus euoluitur,  
 qui & nobis ipsi pariter olim offerentur.

Hæc

*Hæc equidem inuitus dico, sed dicere iussit,  
 Qui regit omnipotens cuncta potensq; Deus.  
 Prælati ut credant doctorem vera locutum,  
 Huic signat nigra frontem oculosq; nota.*

## EXEMPLVM DICTI.

Per quæ quis peccat, per eadem puni-  
 nietur, Prouerb. II.

*Abbatis quondam petijt sibi frater honores,  
 Inuidus & feruens ambitione graui.  
 Hos quia nancisci viuente Abbate nequibat,  
 Tollere qui possit cogitat ille patrem.  
 Est puer Abbatis petulans, quem cadere virgis  
 Consuevit crebrò mente animoq; patris.  
 Puluere huic plenum lethalis pixida tradit  
 Ignaro, frater quid malus ille gerat.  
 Puluere, ait, patinam hoc consperge Abbatis eden-  
 cumq; bibit, poclis in iyce sæpe puer. (tis,  
 Abbas sic semper te complectetur amore,  
 Suevit ut & crebrò verbera nulla dabit.  
 Verbera ut euitet Domini & mereatur amorem,  
 Quod puer est iussus simplicitate facit.  
 Inspergit mediam partem, mediamq; reseruat  
 Postea, qua dominum conciliare queat.  
 Abbas post moritur, succedit frater honore  
 Defuncti, Stygia fraude dolisq; patris.  
 Ipse quoq; hinc crebrò puerum castigat eundem,  
 Durior & multo quàm fecit alter, erat.*

*Puluere*

*Pulvere post reliquo patinam conspergit edentis,  
Ut plagas minuatur sit meliorq; pater.*

*Pulvere sic moritur lethalis pulueris autor,  
Pulvere quo Abbatem sustulit ante suum.  
Iustum est, ut pereat quo quis peccauit eodem,  
Quaeq; alij intentant vulnera quisq; ferat.*

DE POENA VSVRARIJ CVIVS  
dam insignis, vxorisq; eius & pa-  
storis confessarij.

*Fraudator magnus fuit vsurarius olim,  
De centum sumpsit qui sibi saepe decem.  
Hunc testamentum monuit quo conderet vxor,  
Cum iacet in rigida mortis agone miser.  
Rennuit hoc primum, ast cum coniunx instat & vr  
Fraudator scribit talia verba cito: (get,  
Mancipium Sathanae stygias mox tradar ad vndas,  
Has poenas fraudes promeruerunt mea.  
Obstupuit coniunx, dolet hac de clade mariti,  
Quidq; sibi leget dicere deinde petit.  
Hac scribit: Stygias mecum transibis ad vndas,  
Conscia quod mecum fraudis & autor eras.  
Suppeteret luxus tibi quo vestesq; superbae,  
Suasisti has fraudes o malesuada mihi.  
Foemina se sancta signans cruce, sint procul, inquit  
Coniunx, quae scribis tristia fata mihi.  
Ante crucem signes, inquit, vel post tibi sanctam,  
Ad Stygias mecum tristis abibis aquas.*

*Auocet*

Auocet insana, pastor, qui mente maritum  
 Continud, praesens iussus adesse venit.  
 Incipit hic hominem multis solarier agrum,  
 Ad quem fraudator talia verba refert:  
 Consciuss es mecum pastor fraudisq, doliq,  
 Hinc Stygias mecum tu quoq, abibis aquas.  
 Non mea conuiuens taxasti crimina pastor,  
 Ut dapibus mensa perfruerere mea.  
 Mecum igitur meritò poena plecteris eadem,  
 Sic statuit iusti vindicis ira Dei.  
 His moritur dictis subito vir, pastor & vxor,  
 Abrepti ardentis ad phlegethontis aquas.

## DE ALIO VSVRARIO ABDV.

Etò à duobus tauris sub patibulum,  
 ibique sepulto.

Fraudator similis quondam vsurarius ingens,  
 Impius, extinctus contumelandus erat.  
 Denegat in sacra mystes hunc condere terra,  
 Vxor & affines quod petiere diu.  
 Hinc lis exoritur mysten atq, inter amicos,  
 Fraudator qua nam sit tumulandus humo.  
 Constituunt tandè defunctum imponere charra,  
 Carrha taurorum quam iuga bina trahant.  
 Illic condatur corpus quocunq, locorum  
 Sponte sua tauri putrida membra trahent.  
 Patibulum hinc tauri rectà petiere trahentes,  
 Atq, ibi deponunt ossa nefanda viri.

*Iuxta*

*Iuxta igitur coruos fraudator conditur aptè,  
 Indignus sacra qui tumuletur humo.  
 Sic Deus euentu mirando ostendit in orbe,  
 Vsuræ quantum sit scelus atq; nephas.*

## DE FILIO DE COCTORE.

*Vir gnatum poclis noctuq; dieq; madentem  
 Increpuit, verbis admonuitq; bonis.  
 Mores vt vitæ mutaret & heluo pocla,  
 Et socios tandem linqueret ipse malos.  
 Heluo non audit patris pia dogmata gnatus  
 Indulgens genio cœpit vt antè, magis.  
 Decumbens tandem gnatum pater aduocat ad se,  
 Atq; hæc ex patrio pectore verba facit:  
 Has vbi diuendes olim charissime gnate,  
 Aedes, extremè pauper inopsq; meas:  
 Excipe qui summi globus est in culmine tecti,  
 Vt patrijs aliquid sit tibi gnate bonis.  
 Negligit hoc patris mandatum gnatus azotus,  
 Lusibus indulgens ingluuiaq; diu.  
 Pauperiem ad summam tandem sordesq; redactus,  
 Cogitur hinc cari vendere tecta patris.  
 In mentem hîc veniunt morituri dicta parentis,  
 Vt sibi seruaret culminis ipse globum.  
 Excipit ergo globum, facilis quem contulit ipsi  
 Emptor, quòd precij nullius esse putat.  
 Hunc vbi demittunt alto de culmine tecti,  
 Argenti atq; auri munere plenus erat.*

Helluo

Helluo dilecti patris cum sensit amorem,  
 Deserit hinc mores in gluiem q̄ cito.  
 Atq̄ domum rursus patriam sibi comparat auro,  
 Quod pater indiderat pro bonitate globo.  
 Quo monitus cepit meliorem ducere vitam,  
 Est q̄ breui magnas tempore nactus opes.

## TYPVS AVARITIAE. EX D.

Bernhardo super Cantica, Ser-  
 mone 40.

Auaritia rotis quatuor vitiorum ve-  
 hitur, quæ sunt

1. Pusillanimitas.
2. Inhumanitas.
3. Contemptus Dei.
4. Mortis obliuio.

Iumenta trahentia currum duo:

1. Tenacitas.
2. Rapacitas.

Flagris utitur acerrimis:

1. Libidine parandi.
2. Metu amittendi.

Multa sub effictis picturis docta vetustas  
 Crimina ceu coram conspicienda dedit.  
 Fortius afficiunt animos quæcunq̄ videntur,  
 Mentibus & melius visa repostæ manent.

Sic

Sic amor est doctis sceleratus pictus habendi,  
 Usura est cuius liuida dicta soror.  
 Vir sedet in curru fauces distentus ad aures,  
 Dispestis manibus luminibusq; vagis.  
 Qualibet inscripta est rota currus nomine auarus,  
 Diuitias properet quo cumulare celer.  
 Prima rota est currus, animo vocitata pusillo,  
 Nomen inhumana proxima mentis habet.  
 Tertia sed gelida dicta est obliuio mortis,  
 Quarta à contempto numine nomen habet.  
 Quæ vitia impellant, faciant quæ crimina auaros,  
 Quatuor hæc currus nomina ficta docent.  
 Sunt etiam currus byugum sub imagine eadem,  
 A sancto lepidè nomina ficta viro.  
 A raptu est primus, dictusq; tenendo secundus  
 Ad se cuncta rapit, nil dat auara manus.  
 Auriga est currus qui dicitur ardor habendi,  
 Appetit ardescens semper auarus opes.  
 Sunt scuticæ, impellit byuges quibus ille, rapaces  
 Ne curru adiuncti segnius ire velint.  
 Diuitias prima est querendi dira libido,  
 Altera ne amittat non bene parta metus.

## AD VSVRARIVM.

Sic tua depinxit vitia Vsurarie tetra,  
 Bernhardus clarus vir pietate tibi.  
 Sic est fraudator Stygium detrusus ad Orcum,  
 Lecti cum socia, sacrificioq; suo.

Hæc



*Has quoq<sub>3</sub>, ni resipis, nigras pro fraudibus oras,  
Supplicij consors, cum moriêre, petes.*

*Ergo age, quod mystes monuit te doctus in æde,  
Pœniteat fraudis, pœniteatq<sub>3</sub> citò.*

*Nunc veniæ locus est, gratæ nunc hora salutis,  
Hæc vbi præterijt, non redit vlla tibi.*

*Hoc monuit Christus, monuisti sancte Luthere,  
Hoc homines passim pagina sacra monet.*

EXEMPLVM HORRENDI  
parricidij, admisi Anno 1568.

*Hic Stygius referam facinus quod mouit in oris  
Saxonicis, Sathan, viq<sub>3</sub> dolisq<sub>3</sub> suis.*

*Albidos ad ripam clara est vbi dicta Leonis  
Arx, veterum sedes quæ fuit alma Ducum.*

*Hic geminos habuit natos pater, alter in agris  
Rura colit vitam degit agitq<sub>3</sub> suam.*

*Alter mercator factus sibi comparat aris  
Lubecæ multum, post moriturq<sub>3</sub> citò.*

*Fratri legauit centum bis quatuor, ipsi  
Daleros, patri munera parua, decem.*

*Lubecam frater per scripta vocatur ad urbem,  
Fratri vt accipiat munera largæ sui.*

*Hinc lætus patrias redijt nummatus ad ædes,  
Atq<sub>3</sub> patri portat munera pauca suo.*

*Hic pater ardescens ira materq<sub>3</sub> repente,  
Cum gnato cœprant iurgia longa suo.*

Q

Quos placare studens gnatus nil efficit, illi  
 Nam magis ardentem iurgia dira mouent.  
 Iurgantes cessant tandem, ira sed ardet in imis  
 Visceribus matris, visceribusq; patris.  
 Ergo quò soli argento potiantur & auro,  
 Constituunt gnatum tollere cade truces.  
 Inuadunt igitur fessum somnoq; sepultum,  
 Cultello pectus perfodiuntq; piuum.  
 Nil amor hinc patrius potuit, nil viscera matris,  
 Dulcis & hinc sogymente furente cadit.  
 Horrendum spectans facinus quod gnata paren-  
 Exclamans ades voce querente replet: (tum,  
 Quid non aurum homines cogis, quæ non mala sua  
 In natos etiam stringere ferra iubes. (des,  
 Exciti accurrunt queritantis voce puella,  
 Vicini, & capiunt cadis vtrumq; reum.  
 Vinculis constringunt latebrasq; in carceris abdūt,  
 Infandæ vt pœnas cadis vterq; luat.  
 Hei Stygijs quantum miseros committere, & ipse  
 Hinc Sathanas facinus suadet & audet atrox.  
 Namq; pater frangit collum sibi fune retorto  
 Luce, miser pœnas qua luiturus erat.  
 Matrem, vt erat duris ferri constricta catenis,  
 E turri Sathanas carceris ipse vehit.  
 Atq; vebens stagnum trudit truculentus in atrum,  
 Hinc misere frangens colla retorta necat.  
 I nunc & cumula tibi opes per fasq; nefasq;  
 Qui cupis infelix talia fata tibi.

Precatio

PRECATIO CONTRA  
Diabolum.

*Demonanos contra tuearis, Christe, precamur,  
Circuit hic, quærens quem leo cunq; voret.  
Impulit hic Cain truculenta cade, necatum  
Tolleret vt fratrem primus in orbe suum.  
Sanguinis & multum quoq; nunc effundit vbiq;  
Innocuos multos viq; doloq; necat.  
Nos sumus imbelles, ille est truculentus & audax,  
Callidus, & nouit mille nocere vijs.  
Sed quia nil poterit nisi tu concesseris illi,  
A nobis Stygium pellito Christe canem.  
Vt tibi dicamus toto de pectore laudes,  
Tu nos in cunctis quod tueare malis.*

DE QVODAM MILITE IMPIO,  
auferente Monacho cum numis  
cucullum.

*Impius à longè spectabat miles euntem  
Cum socio Monachum fortè precante pium.  
Aduertit nummos in summa parte cuculli,  
Quos nebulo arreptos abscidit ense citò.  
Conqueritur monachus de vi, pœnamq; minatur  
Ipsi sit quondam quæ subeunda grauis.  
Hæc sibi cum quærit, quando sit pœna luenda,  
Atq; is in extremo diceret esse die.  
Impius, heus etiam dixit, quoq; trade cucullum,  
Si non antè venit pœna luenda mihi.*

Talibus æternus cruciatus & horrida pœna  
 Imminet in Stygio perpetienda lacu.  
 Hanc quia non cernit coràm nunc impia turba,  
 Absq; metu patrat cuncta nefanda Dei.

DE POTATORE EPICVREO  
 abrepto à Diabolo ad inferos.

Poturi quondam tres conuenère bibones,  
 Lurcones magni vaniloquiq; viri.  
 Hi de animæ vita vani cœpère futura  
 Plurima potantes verba nefanda loqui.  
 Vnus ait: Stygia mihi quæ de sede feruntur,  
 Hac ego pro nihilo cuncta habeo atq; fero.  
 Quin animam paruo cupiam vel vendere numo,  
 Vendere vel Sathane si velit ipse, meam.  
 Quo dicto Stygijs Sathanas aduenit ab umbris,  
 Horrendus, magnus, trux, facieq; niger.  
 Vis animam, dixit, mihi vendere, suscipe dictum  
 Nummum, quo vini pocula grata bibas.  
 Accipit hic precium, plenos haurire culillos  
 Pergunt, & vani turpia verba loqui.  
 Vespera cùm monuit potos remeare penates,  
 Dicta feras Sathanas hæc truculenta sonat:  
 Emptor equi nunquid iustè quoq; frena tenebit,  
 Frena vocans animæ corpus & ossa hominis.  
 Iustum cùm referūt, hominem subuexit in auras,  
 Et trusit Sathanas ad phlegetontis aquas.

Pœna

*Pœna manet cunctos ridentes dogmata talis,  
Dogmata, quæ nobis pagina sacra canit.*

## DE MONACHO IGNAVO.

*Sacrata monachus sermonem habiturus in æde,  
In laudes virgo sancta Cathrina tuas.  
Nil studet ignauus, diuinæ frater & auræ  
Fidens & verbis Christe benigne tuis.*

Matth. 10.

Ne fitis solliciti, quomodo aut quid lo-  
quamini: dabitur enim vobis in illa hora  
quid loquamini. Non enim vos estis illi lo-  
quentes, sed spiritus patris vestri, qui loqui-  
tur in vobis.

*Suggestum ascendit frater, nil spiritus almus  
Suggestit, hic crebrò talia verba facit.*

*Sancta Catharina propina sermo-  
nem seruo tuo.*

*Hæc Prior excipiens iratus talia fratri  
Ignauo, dixit, verba notanda suo.*

*Hora matutina datur disciplina  
famulo fatuo.*

*Non datur ignauis sapientia, non sine magno  
Quis studio magna magnus in arte fuit.*

HISTORIA DE QVODAM RE-  
ge & tribus ludionum cistis.

Q 3

*Fabula presentat verum sub imagine, crebro  
 Quod vix innocua voce referre queas.  
 Ludio cum socijs sic regi seu tyranno,  
 Quæ populo fecit Christicolisq; docet.  
 Regis fert cistas ternas epulantis in aulam,  
 Edere ceu leto ludicra lata velit,  
 Post abit & cistas coram tres rege relinquit,  
 Artis vt apportent organa plura sue.  
 Ludio cum reditum differt socijg; videndi  
 Rex cupidus ciste que noua contineant.  
 Ordine cistarum mandabat claustra recludi.  
 Atq; sibi ostendi quæ noua quæq; ferat.  
 Primam vbi recludunt, in ea rex ipse tyrannus  
 Infligit Christo verbera dura pio.  
 Agricolas cista miseros equitando secunda,  
 Proterit intentâ cuspide agitq; truci.  
 Tertia in oclusa ludens rex sedit, & inter  
 Virgineos cætus gaudia letus agit.  
 Ludio sic docuit ficta sub imagine, reges  
 Quæ sani Christo, quæ faciantq; pijs.*

DE RVSTICO FRAVDA-  
tore eluso.

*Ad celebrem Phœbes habitabat rusticus urbem,  
 Decipere assuetus calliditate diu.  
 Coctorem zythi cerealis in vrbe benignum,  
 Vt zythi credat vas sibi sepe rogat.*

Dai

Dat coctor, finem cum non facit ille rogandi,  
 Nil precibus sperans fraudis inesse viri.  
 Rusticus acceptum zythi vas auerit vrbe,  
 Acceptum gaudens calliditate noua.  
 Mœnia vbi exit ouans, sunt fortè repagula clausa  
 Urbis, ne celerans posset adire domum.  
 Rusticus interea venit alter notus ab vrbe,  
 Qui zythi dulcis munere plenus erat.  
 Hunc ait ad fratrem durum zythiq<sup>3</sup> bibacem,  
 De cœpta exultans fraude doloq<sup>3</sup> sibi.  
 Hoc ego sum zythi vas nactus ab hospite nostro,  
 Artibus his miris fraudibus atq<sup>3</sup> nouis.  
 Soluere promisi zythum me velle, calenda  
 Quod faciam Graia tempore quo venient.  
 Auribus hæc hausit coctor vicinus in horto,  
 Illo qui presens tempore fortè fuit.  
 Perg<sup>3</sup> fores horti posticas exit, & inde  
 Se simulans alio ruris adesse loco.  
 Accedit currum, zythi vas aspicit, hisce  
 Alloquitur verbis ruricolamq<sup>3</sup> virum:  
 Errauit seruus malè noster, qui tibi facis  
 Tinnam pro zytho tradidit ei ce bono.  
 Ne videar fallax te decepisse malignè,  
 Pro zythi tradens lurida vasa tibi.  
 Accelerans tinnam quin tu vehe rursus in urbem,  
 Ut demus zythum pro tibi face bonum.  
 Rusticus accelerat gaudens tinnamq<sup>3</sup> reuectat,  
 Pro face expectans dulcia vasa sibi.

Tinna vbi deposita est, aliam petit ille reponi,  
 Hospes quem ludens talibus alloquitur:  
 Improbe non reddo tibi vās, qui soluere nullo  
 Te modò iactabas tempore velle mihi.  
 Qui me tentabas ingratus fallere, falsus  
 Pro zytho fecis turbida pocla bibe.  
 Fraude ita fraus capta est, sic ars delusa per artem,  
 Sic curru vacuo rustice tristis abi.

DE REGE ANGLICO DE-  
 liberante cui filiorum regnum  
 tradat.

Insula clara iacet toto circumflua ponto,  
 Hesperio Troës incoluère diu.  
 Angela post Saxo claram regina tenebat,  
 Anglia de cuius nomine nomen habet.  
 Huius erat quondam sapiens rex, qui sibi gnatos  
 Tres genuit regni spemq̄, decusq̄, sui.  
 His vbi iam senio confectus tradere regnum  
 Cogitat, vt veniant ordine quisq̄, iubet.  
 Coràm cùm starent gnati, mihi dicite dixit,  
 A Dijs conferri quid sibi quisq̄, velit?  
 Primus, sit cupio mihi summa potentia dixit,  
 Omnes qua rogam subdere colla mihi.  
 Alter, ego, dixit, peto, sim pulcherrimus inter  
 Omnes, vt charus sim maneamq̄, meis.  
 Tertius, vt collum mihi sit, peto, longius ipso  
 Cygnus quod gestat Strymoniaq̄, grues.

Non



Non ceu colla vorax Epicurus longa petebat,  
 Dulcia quo saperent fercula in ora diu.  
 Verba sed vt possim collo perpendere tecta,  
 Et quid conueniat voluere mente diu.  
 Miratur votum sapiens tam mentis honesta,  
 Tradidit huic regni sceptrata tenenda pater.  
 Est sapiens magno cunctatio principe digna,     ,,  
 Impetus infelix quilibet esse solet.     ,,

## ALIVD.

Rex quoq; sic quondam mundo celebratus Eoo,  
 Ad tres qui gnatos talia dicta refert:  
 Optio si vobis fiat, mihi dicite gnati,  
 Ex auibus cunctis quam sibi quisq; petet.  
 Primus ait, cuperem Iouis ales detur olympi,  
 Hec quoniam altiuolans aëra summa petit.  
 Optarem vt detur mihi dixit falco secundus,  
 Quod volucrum celerans agmina falco capit.  
 Tertius hinc sturnus dixit mihi munere detur,  
 Sturnus amat cœtus conuolitatq; simul.  
 Hinc iunctum populo fore natum & plebis aman-  
 Noscens huic genitor sceptrata tenēda dedit. (tē,  
 Quales sunt regum mores, quæ mensq; futura,  
 In teneris crebrò ludicra dicta monent.  
 Conuolat vt sturnus, Christus se cœtibus addit  
 Sanctorum, & præsens agmina iuncta fouet.  
 Est homines inter dixit mihi summa voluptas,  
 Dulcibus & factis ludit in orbe Deus.

*Sic populum clemens princeps clemensq<sup>3</sup> senatus,  
Adiunctum officijs seruat amatq<sup>3</sup> suum.*

DE ORATORE BYZAN-  
tino.

*Seditio populum distraxit in vrbe coorta  
Byzanti, quondam quam Geta sæuus habet.  
Mulceat hic Domini mittunt qui pectora plebis,  
Insignem meritis & pietate virum.  
Vir fuit hic longus plena atq<sup>3</sup> abdomine crassus,  
Antrum quem capiat vix Polypheme tuum.  
Hunc vbi conspexit populus, pueriq<sup>3</sup> petulci,  
Soluitur in risum plebsq<sup>3</sup> puerg<sup>3</sup> simul.  
Quid me ridetis? dixit, quid corpore tantum,  
Est duplo coniunx me mihi crassa magis.  
Nos tamen vnanimis habitamus in edibus vnis,  
Denos quæ surgant vix pateantq<sup>3</sup> pedes.  
Atq<sup>3</sup> capit lectus concordēs arctus vtrosq<sup>3</sup>,  
Discordes caperet vix spaciōsa domus.  
» Felices iungit dulcis quos nexus amoris,  
» Sancto quos iunctos pax fouet alma thoro.*

EXEMPLVM DE MITIGANDA  
crudelitate & sæuitia in deuictos,  
propter fortunę volubilitatem  
& inconstantiam.

*Diuitis Aegypti crudelis in orbe Serosfes  
Rex quondam in populos & truculentus erat.  
Quatuor*

*Quatuor hunc reges curru traxere tyrannum,  
 Quos tenuit victos Marte furente diu.  
 Rex ubi respectat post tergum sepius vnus,  
 Ad currum tristis precipitemq; rotam.  
 Cur spectet toties ad currum & lumina flectat,  
 Rex querit regem, voce minante ferus.  
 Cogito respectans, inquit, rex ima supremis  
 Quod se conuertant, ceu tota cuncta citò,  
 Nostra etiam nuper rota ceu fortuna volutans  
 Se vertit, magnum durat in orbe nihil.  
 Hac monitus saeuus communi sorte tyrannus,  
 Est mitis factus regibus inde magis.*

**HISTORIA DE TRIBVS FRA-**  
**tribus contendentibus de hære-**  
**ditate paterna, recitata ex**  
**Alphonso.**

*Sustulit è mæcha coniunx sibi coniuge quondam  
 Legitimo, vt credit, pignora terna thoro.  
 Litigat offensus cum coniuge fortè maritus,  
 Fœmina cui contrà talia verba dedit:  
 Improbe quid mecum toties mala iurgia nectis,  
 Intentans etiam verbera saua mihi?  
 Quos natos reris proprio tibi corpore ternos,  
 Est vnus tantum sanguine ritè satus.  
 Quis suus è ternis gnatus sit saepe rogabat  
 Vir bonus, vt coniunx diceret ipsa sibi.*

*Quod*

Quod petit, illa negat: moritur pòst improba con-  
 Quisq; sit incertus filius ipse manet. (iunx,  
 Pòst pater, hic heres, moriturus scripsit, vt esset,  
 Gnatus qui patrio sanguine natus erat.  
 Ipse pater moritur, cœperunt iudice coram  
 De patrijs fratres querere saepe bonis.  
 Contendit verum se gnatum quisq; parentis,  
 Illius atq; sibi iure tenere bona.  
 Nullus erat finis, quoniam certaminis inter  
 Fratres, nec facilis causa probanda fuit.  
 Corpus vt effodiant, iudex iubet, atq; sagitta  
 Cor petat intenta quilibet inde patris,  
 Hunc fore defuncti gnatum heredemq; sagitta  
 Proximior cordi cuius acuta foret.  
 Iudicis hæc sapiens placuit sententia cunctis,  
 Quæ dirimat fratrum iurgia longa citò.  
 Effodiunt nuper cari ergo reposta parentis,  
 Et statuunt iaculis, membra verenda, scopum.  
 Ast Venere illicita prauaq; libidine nati,  
 Coniiciunt fratres impia tela prius.  
 Legitimus casto fuerat qui natus amore,  
 Coniiciat iussus talia dicta dedit:  
 Absit, vt ingratus dilecti membra parentis  
 Ipse petam iaculis ossaq; sancta mei.  
 Hoc ego quam facinus mediter cõmittere, malim  
 Semper inops patrijs his caruisse bonis.  
 Hac erga monitus iudex pietate parentem,  
 Hic, ait, est gnatus yvñstios ille patris.

EST

*Est pius hic gnatus, cari est heresq; parentis,  
 Non qui laesistis membra paterna feri.  
 Sic Solomon sapiens matres dijudicat inter,  
 He cum de natis iurgia longa mouent.  
 Quæ vis sit sogyâs, quæ sit genialis amoris  
 In patres genitis, dulcis imago docet.*

## DE MEDICO INDOCTO.

*Aegroti medicus cupiens cognoscere morbum,  
 Inspectat lotium sole micante diu,  
 Currus in opposito fœni stat fortè locatus  
 In vitro, cuius lucet imago leuis.  
 Quam medicus cernēs, habet hic, exclamat, in al-  
 Cum curru clausos quatuor ager equos. (uo  
 Mentibus hei nostris quantum caliginis obstat  
 A vero vt raro cernere falsa queant.*

DE SACRIFICVLO QUI SE-  
 pelijt canem in Cœmiterio, & ab-  
 soluto ab Officiale, cui in testa-  
 mento canis legauerat  
 aureos nummos  
 decem.

*Fortè sacrificulus defunctum errore catellum  
 Dicitur in sacro contumulasse solo.  
 Officialis eum truculenta voce Sacerdos  
 Aduocat vt pœnam penderet ille grauem.*

*Nullò*

Nullo, ait, hic merui mystes ego crimine pœnam,  
 Namq; canis consors hic rationis erat.  
 Hoc, ait ille, doce, pœnam aut dato crimine dignã,  
 Non decuit sacrum contaminasse locum.  
 Nummos hic dixit, canis auri sancte sacerdos,  
 Legavit vobis, munera grata, decem.  
 Officialis ait, fuit hoc non sanctior vllus  
 Hoc cane, qui nobis talia dona dedit.  
 Atq; sacra dignus tumulatus sede beatus,  
 Tuq; reus, mystes, crimine liber abi.  
 Omnia sic nummi mutant diuina prophanis,  
 Nummos sic pietas propter vbiq; iacet.

DICTVM D. BERNHARDI  
 ad Diabolum, recitatum

à P. M.

*Exortans*

Exortans sanctus Bernhardus pondera ventris,  
 Ad Dominum fecit vota precesq; Deum.  
 Accedit Sathanas, querit cur sancta precari  
 Verba ausit, putrida sede lociq; Dei.  
 Vir sanctus dixit, sursum mea vota feruntur,  
 Quod cadit inferius tu tibi munus habe.  
 Spiritus elusus Sathanas hac voce superbus,  
 Turpis vt erepta carne catellus abit.  
 Sic subito à nobis Sathanas quoq; lusus abibit,  
 Contemptum nequeat quod tolerare sui.

DE FVRE RVSTICO.

Agricola

Agricola quondam subrepta est forte catena,  
 Pondere qua magno qua precioq; fuit.  
 Agricola fur notus erat, vicinus at illum  
 Non voluit furti commaculare nota.  
 Orat, vt admoneat suggestu pastor ab alto  
 Furem, vt qua abripuit, reddere spontè velit.  
 Admonuit furem pastor persepe, catenam  
 Vicino ablatam restituisse velit.  
 Non tamen ille refert monitus qua sustulit ara,  
 Omnes quòd furtum seq; latere putat:  
 Post coram populo pastor minitatur in aede,  
 In probrum nomen prodere velle viri.  
 Sed nil cum mouere minae, nil numinis ira,  
 Nil sibi mens furti conscia praua mouet.  
 Ergo die festo pastor cum venit in aedem,  
 Facturus populo verba sacrata suo:  
 Bistonium secum pharetratis attulit arcum  
 Telis, intentum clam posuitq; loco.  
 Verba vbi finisset, subito post protulit arcum  
 Intentum, ad furem talia verba sonans:  
 Improbe cum monui fur te, iam sepe catenam  
 Subreptam furto reddere spontè velis.  
 Nunc quia non reddis monitus persepe catenam,  
 Te faciam notum furtaq; nota tua.  
 Bistoniumq; simul minitantem dirigit arcum  
 In furem, notus ceu foret ille sibi.  
 In se directum cernens sibi conscius arcum,  
 Ex templo pede fur accelerante fugit.

Solutu

*Soluitur in risum populus, quòd proderet ipsum  
Se fur, qui nulli cognitus antè fuit.*

» *Conscia mens vt cuiq<sub>3</sub> sua est, ita concipit intra  
» Pectora pro meritis spemq<sub>3</sub> metumq<sub>3</sub> suis.*

DE DOCTORE QVODAM  
pontificio blasphemus in fi-  
lium Dei.

*Hæc vbi cantaret gratante Ecclesia voce  
Cunctorum Domino carmina grata Deo:*

*Ein feste Burg ist vnser Gott,*

*Impius hic doctor clamat furibundus in æde,  
Non oculos claudam mortuus antè meos,  
Hanc ego quàm turrim victrici excidero dextra,  
Deq<sub>3</sub> illa victor leta trophæa feram.  
Impius hic moritur blasphema voce repentè,  
Phœbus vbi astrifero fulsit ab orbe nouus.  
Sic pereat, Christi quisquis venerabile regnum  
In festis armis attenuare studet.  
Pontificis nuper Latij sic pastor in æde,  
Blasphemans gnati dogmata sancta Dei,  
Hanc soluit pœnam, legere vt quæcunq<sub>3</sub> valeret,  
Ad sacra sed tantùm Biblia cæcus erat.  
I nunc & damna blasphemus dogmata Christi,  
Optas consimili qui perÿsse modo.*

*Historia*



HISTORIA DE POMPILIO RE-  
ge Poloniæ, consumpto vnâ cum  
vxore & liberis à muribus.

Sarmatici referam tibi clara Polonia regis  
Pompilij sæui funera dira tui.  
Cuius fatali pater omine dicere suevit,  
Membra velim mures nostra vorasse feros.  
Muribus exesus quoniam cum coniuge, gnatus  
Ex meritis perijt, putrida præda, suis.  
Digna fuit scelere hæc crudelis pœna tyranni,  
Coniugis & sæuæ debita pœna fuit.  
Hunc pater è viuis cedens, atate reliquit  
In tenera regni spemq; decusq; sui.  
Germanis gnatum caris committit alendum,  
Et regni moriens sceptrum tenenda dedit.  
Hic patrij sceptrum regni cum cœpit adultus,  
Cum socia patrat coniuge grande nefas.  
Nam patruos sæui tollunt ardente veneno,  
Quod scelus est subito pœna secuta Dei.  
Nanq; vbi concelebrat conuiuia læta tyrannus  
Coniuge cum sæua pignoribusq; suis:  
De tumulis, mirum, patruorum prodijt ingens  
Vis subito murum, dentibus atra cohors.  
Qui madidum inuadunt oleo, plenumq; Lyæo,  
Et caput impurum flore aserta gerens.  
Atq; etiam validis natorum & coniugis artus  
Morsibus infestant, impia membra, truces.

R

Fortiter infligunt ictus hostemq<sup>3</sup> repellunt,  
 „ Ast nihil irato numine tela iuuant.  
 Agmine nam facto pulsus maiore redibat  
 Hostis fatalis, corpora seu a petens.  
 „ Nil valet aduersus diuini numinis iram,  
 „ Exuperat quaeuis vindicis ira Dei.  
 „ Non ibi tela valent hostem, non pellere ferrum,  
 Sed furit in miseros sauior atra cohors.  
 Se iubet ardentem vxorem & pignora circum,  
 Accendi flammam igniuomusq<sup>2</sup> focos.  
 In medio longè saeuus rex ipse locatur,  
 Coniunx cum natis improbitate pares.  
 Non etiam flammæ tutos à muribus atris  
 Ardentes reddunt flammiuomusq<sup>2</sup> focus.  
 Nam celeres rumpunt mures per tela, per ignes,  
 Rodentes cædis tot scelerumq<sup>3</sup> reos.  
 Cùm datur in terris non iam spes vlla salutis,  
 Fluctisonas miseris queritur inter aquas.  
 Nauibus abducunt autorem cædis in altum,  
 Huc etiam vindex mus sibi fecit iter.  
 Dentibus erodunt tabulas vlticibus omnes,  
 Autorem cædis quæ scelerumq<sup>3</sup> vehunt.  
 Cum laxis laterum compagibus omnia mortem  
 Intentant, nautæ littora tuta petunt.  
 Hic noua magnorum murum venit ecce caterua,  
 Quæ magis infestat cædis & ipsa virum.  
 Hic fugiunt trepidi, qui protexere tyrannum,  
 Noscentes pœnam vindicis esse Dei.

Præsi-

*Præsidij nudus cunctis confugit in altam  
 Turrim, qua Grusing nomine dicta manet.  
 Ast nihil est contra seruet quod numinis iram,  
 Nam sequitur vindex quod fugit ipse nocens.  
 Sic rapido murum cursu longoq; caterua  
 Ordine consequitur turris ad alta ferox.  
 Morsibus hic seuum corrodit seua tyrannum,  
 Vxorem & natos impietate pares.  
 Discite iustitiam moniti & non temnite diuos,  
 Pompilius clamat, demones inter agens.  
 Non autor sceleris pœnarum liber abibit,  
 Is metuat pœnas qui mala cunq; facit.  
 Sic ego, sic coniunx, nati sic pignora cara,  
 Muribus infestis præda cruenta sumus.  
 Sic tua fœdantes roserunt viscera, Adolphe,  
 Vermiculi ob crimen Cæsar in vrbe tuum.  
 Pœna breuis fuit hæc, sed quam nunc demones in-  
 Hei patimur, semper non toleranda manet. (ter*

## DE HATTONE EPISCOPO

Maguntino exeso à muribus,

Anno 900.

*Muribus exesus sic est vltricibus Hatto,  
 Hatto quo seuus non magis vllus erat,  
 Vrbe Maguntina qui vixit Episcopus atrox,  
 Secla vbi post Christum natum abiire riuem.  
 Tempore quo miseranda fames inuaserat orbem,  
 Dira premens inopes, ruricolasq; diu.*

R 2

Ergo adeunt Dominum querulosa voce precantes,  
 Vt Cereris donet grata alimenta sibi.  
 Audijt hos dura malesanus Episcopus aure,  
 Et toruo tales edidit ore sonos:  
 Fex hominum, quid me querulo sermone fatigas?  
 Quid mihi, quid tecum turba prophana rei est?  
 Nil tibi nostra manus dabit, ergo aliunde parabis,  
 Nec tibi de nostro spes erit vlla penu.  
 Cum faciunt nullum finemq<sup>3</sup> modumq<sup>3</sup> precandi,  
 Horrea veloci iussit adire gradu.  
 Expectant miseri cerealia munera leti,  
 Longam queis possint exatiare famem.  
 Impius ast presul miseros spe lusit inani,  
 Horrea succendens igne furente ferox.  
 Hic miseri vastis vlulatus aëra complent,  
 Ad cœlum tendunt compositasq<sup>3</sup> manus.  
 Sic pereunt queruli fumoq<sup>3</sup> igniq<sup>3</sup> necati,  
 Plurima flebilibus verba iterando modis.  
 Et dixit lato truculentus Episcopus ore,  
 Ad circumstantem talia verba gregem:  
 Heus frumentipeta mures, quàm dulcia strident,  
 Musica quàm dulci carmine turba canit.  
 Talia commisit presul turpissimus Hatto,  
 Digna sed est iusti pœna secuta Dei.  
 Quo nam cunq<sup>3</sup> pedes referebat, turba secuta est  
 Murum ingens, seuum persequiturq<sup>3</sup> virum.  
 Cogitat hinc turrim munitam imponere Rheno,  
 Quò fugiat morsus mus violente tuos.

Turris

*Turris in vndosis valido circumdata muro,  
 Fluctibus extruitur cognite Rhene tuis.  
 Iusta sed ira Dei comitatur vbiqꝫ scelestos,  
 Odit & in cunctis punit iniqua Deus.  
 Sic ignota petunt vltrices flumina mures,  
 Tranando superant concomitantqꝫ ducem.  
 Inuadunt hostem magno conamine mures,  
 Morsibus innumeris continuisqꝫ necant.  
 Rudera turris adhuc, murum de homine dicta,  
 In medio Rheni flumine stare ferunt.  
 Ante Maguntinus fuit hunc & Episcopus Hatto,  
 Qui prius è Francis regibus ortus erat.  
 Hic Bambergensem Comitem sceleratus Iudas  
 Prodidit Henrico, qui capiebat aues.  
 Induperatori mox insidiatus eidem,  
 Auxit criminibus crimina plura nouis.  
 Hunc Sathanas tali clamore auexit in Aethnam,  
 Sic peccata lues, atqꝫ ruendo rues.  
 Sic Deus affligit periuros, punit auaros,  
 Qui gaudent miseri perditione gregis.     ””  
 Discite mortales opibus presentibus vti,     ””  
 Discite pauperibus ferre libenter opem.     ””  
 Ponite duriciem crudeli corde ferocem,     ””  
 Nam Deus in duros durior esse solet.     ””*

DE PATRE MVLTOS LIBE-  
 ros hortante ad concordiam &  
 mutuum amorem,

R 3

Coniunx ex cara complures coniuge gnatos  
 Sustulit in casto prolificoq<sub>3</sub> thoro.  
 Hos pater vt iunctos teneat moriturus amore  
 Discordes, facto vocibus atq<sub>3</sub> monet.  
 Fasciculum ponit constrictum funibus arctis,  
 Virgarum hunc frangat quilibet inde iubet.  
 Nititur intentis pro se quisq<sub>3</sub> ordine neruis,  
 Fasciculum frustra frangere parua cohors.  
 Fasciculum soluit pater hinc atq<sub>3</sub> ordine tradens  
 Singula, vt effringat vimina quisq<sub>3</sub> iubet.  
 Hoc vbi iam nullo faciebat quisq<sub>3</sub> labore,  
 Ad gnatos reddit talia verba pater :  
 Viuite concordēs, concordēs viuite fratres,  
 Coniunctos fasces frangere nemo potest.

DE QVADRAGINTA PVERIS  
 laceratis à duobus vrsis, quòd Elisæo  
 prophetæ illuderent, claman-  
 tes: Ascende calue, ascen-  
 de calue, 4. Reg. 2.

Multa docent passim scriptura exempla, petulcos  
 Pœna quæ pueros interitusq<sub>3</sub> manent.  
 His libuit multis memorare ex millibus vnum  
 Clarum, quod nobis pagina sacra refert.  
 Iudaicis vates Heli zæus sanctus in oris  
 Factis & verbis clarus vbiq<sub>3</sub> fuit.  
 Hic Iericho celsam Bethel vbi venit in urbem,  
 Edidit irati signa notanda Dei.

NAM

Nam petulans venit cum pubes obuia Vati,  
 Vati, canicie qui venerandus erat.  
 Insultans ludit venerandum hac voce prophetam,  
 Scandito calue senex, scandito calue senex.  
 Hac pius offensus petulanti voce, regeßit  
 Vates in pueros hac maledicta senex:  
 Sis maledicta cohors puerilis, sicq; maneto,  
 Ingeris hac petulans quæ mihi verba seni.  
 Sic ait: & rapidis veniunt duo cursibus vrsi  
 E syluis sæui dente trucesq; comis.  
 Qui quadragenos lacerant binosq; petulcos  
 Hos pueros, vindex quæ fuit ira Dei.  
 Illudit senibus petulans quicumq; repente,  
 Pro merita pœnas improbitate luet.

DE DOCTORE MALE  
vestito.

Eximius Doctor malè sed vestitus in aulam  
 Admitti regis vultq; petitq; diu.  
 Porta sed custos doctorem sæpe repellit,  
 Admittens alios quæ bona vestis erat.  
 Aduertens doctor, vestem causam esse repulsæ,  
 Continud & vestes induit ipse bonas.  
 Cum redit ad portam pulsans admittitur intrò,  
 Regis ad aspectus oraq; clara citò.  
 Oscula dat vesti crebrò stans regis ad ora,  
 Oscula quæ situs cur daret ipse toga.

Hæc, ait, est autor, veni quòd regis in aulam,  
 Qua malè vestitus sæpe repulsus eram.  
 Sic nitida vulgus tantùm qui veste refulgent,  
 Esse putant doctos magnificosq; viros.  
 » Sæpe sub attrita latuit sapientia veste,  
 » Sæpe subest nitidæ nil nisi stultitia.

DE PVERIS INGRESSIS IN  
 montem Hameliæ.

Hamelia in ripis iacet vrbs celebrata Visurgis,  
 Qua Sathana est olim res noua gesta dolis.  
 Ascaules crebrò venit hanc ignotus in urbem,  
 Vtriculo pueris carmina grata canens.  
 Ascaulem sequitur puerorum longa caterua,  
 Ducta nouo cantu, ducta nouoq; viro.  
 Tempore vbi multo hos circumduxisset in vrbe,  
 Vtriculi oblectans carmine dulcisono:  
 Vicinum ad montem deduxit præuius illos,  
 Ad montem, Capitem qui sibi nomen habet.  
 Ascaules intrat montem, comitantur euntem  
 Incauti pueri montis in ima ducem.  
 Fama venit, trepidi procurrunt vrbe coloni,  
 Procurrunt matres attonitiq; patres.  
 Stat puer illachrymans nõ montis in antra secut<sup>us</sup>,  
 Hic monstrat pueri quem introiêre locum.  
 Perfodiunt ciues latebras montisq; cauernas,  
 Scrutantes pueros voce querente suos.

AST



*Ast non inueniunt perfosso monte dolentes,  
 Ab miseri natos quàm dolière diu.  
 Annales factum veteres testantur in vrbe,  
 Pictura & vitrea est testis in aede vetus.  
 Hei Sathanas ludens Solymam persuadet adire,  
 Hos nuper pueros qui reuocare velit.  
 Hac etenim saluos annos tot in vrbe puellos  
 Seruari mira de bonitate Dei.  
 Barbaricis annos iam binos errat in oris,  
 Si modò adhuc aura vescitur aetheria.  
 Hei Sathanae insidiae quantae? hei ludibria quantae?  
 Qui nos sic miseros ludificare solet.  
 Hoc docet exemplum Sathanas quàm querat in  
 Quos leo ceu rugiens perdat vbiq; pios. (orbe,  
 Et magis hic pueris intentat funera mortis,  
 Christi adum vt tollat sancta Lyceae schola.  
 Hunc tu Christe potens seuum compesce tyrannū,  
 Ne vastet coetus alueolosq; tuos.*

**DE BOVE QUI VIGESIMO DE-**  
**mum ictu procubuit Lunæburgæ.**  
 Anno 1564. 6. Octob.

*Bos emptus celebrem Phœbes ductatur in urbem  
 Mactandus, quo non seuior vllus erat.  
 Inuitus contra multum luctatur, & audet  
 Ductorem in medium sternere sepe lutum.  
 Luctantem ductor pavidus dimittit atrocem  
 Taurum, cum nulla vi retinere potest.*

R 5

Ille fugit liber, plateas aufertur in omnes,  
 Contrà prosternens quicquid in vrbe fuit.  
 Diruit, huc illuc currens, tentoria, mensas,  
 Mercantes ciues quas statuere foro.  
 Torua videt, sæuus pedibus dispergit harenam,  
 Cornibus intentis quoslibet ille petit.  
 Insequitur ductor magno clamore furentem,  
 Hunc ciues captum quæso tenete bouem.  
 Diffugiunt omnes taurum quicumq; ferocem,  
 Per plateas contra tendere fortè vident.  
 Obijciunt currus contra furcasq; bicornes,  
 Sic capitur tandem bellua in vrbe ferox.  
 Ducitur obluetans lanij furibundus in ades  
 Mactandus, veluti victima cæsa cadit.  
 Fortes accedunt lanij taurumq; reuinctum  
 Cornibus obtorto collaq; fune ligant.  
 Hic videas raras firmato in corpore vires,  
 Atq; bouis fronti robur inesse nouum.  
 Deiecit taurum vix hunc vigesimus ictus,  
 Quos multo impegit verbere dura manus.  
 Robore tam firmo præstant animantia nobis,  
 Quos perimat subito plaga vel vna leuis.

DE LVPO DILACERATO  
à cane.

Hassiaca est celebris terra Reinsualdia sylua,  
 Quà liquidis curris clare Visargis aquis.

Varia

Varia qua spectas celsa fastigia sylvæ,  
 Varia, qua nostra est stirpsq; genusq; satum.  
 Lanigeras conclusit oves, solasq; reliquit  
 Cortibus opilio nocte silente suas.  
 Alligat ad cortes ingentem fune molossus.  
 Custodem stabulis lanigeroq; gregi.  
 Pastor ubi à stabulis discessit, grandis & atrox  
 Altis decurrit montibus ecce lupus.  
 Longa fames rabidum quem fecerat atq; ferocem,  
 Bellua qua vivit non magis vlla vorax.  
 Insilit in cortes, miserum crudeliter omnem,  
 More suo laniat dilaceratq; gregem.  
 Luctatur, cladem cernens hanc fune molossus,  
 Auxilium vt miseris præsidiumq; ferat.  
 Nil opis heî potuit miserandis ferre molossus,  
 Vincula quod collo rumpere dura nequit.  
 Omnibus extinctis demum tamen illa reuellit  
 Luctando, multum seq; agitando diu.  
 Insilit in cortes magna succensus ab ira,  
 Atq; hostem seuum seuior ipse petit.  
 Pugna ingens oritur, morsus geminantur atroces,  
 Nunc lupus est victor, nunc iacet ille gemens.  
 Tandem mordaci furibundus dente molossus  
 Dilaniat victor, dilaceratq; lupum.  
 Hinc, super extinctum trahit accumulataq; fidelis  
 Hostem, quas seuus dilaniarat oves.  
 Cùm redit opilio, letus procurrat ouansq;  
 Gratum ceu domino fecerit ipse canis.

Opilio

Opilio cernens cladis putat esse nefanda,  
 Autorem subito traicit ense canem.  
 Ast vbi oues cœpit mœstus diducere, atrocem  
 Inuenit has subter succubuisse lupum.  
 Hinc dolet extinctum pastor magis esse fidelem  
 Tam sibi, tam fortem, tam meritumq̃ canem.  
 Quàm perÿsse gregem carum sibi cæde nefandum  
 Lanigerum subito scitq̃ gemitq̃ suum.  
 Quàm malè sit gratus meritis, depingit imago  
 Mundus pro meritis, qui mala ferre solet.  
 Sic dominum occidit, nos qui moriendo redemit  
 A Sathana, occidit qui Stygiumq̃ lupum.

DE PVERO CONSERVATO  
 diuinitùs inter lupos.

Sylua iacet Phœbes celebri regione, vetusta  
 Górdia, quæ nomen sylua vetusta tenet.  
 Rusticus hanc iuxta quondam frangebatur agelli  
 Incuruo glebas vomere fortè sui.  
 Ad syluam posuit mater paupercula gnatum,  
 Adiutans charum sedula arando virum.  
 Lusitat hic solus, natus vix quatuor annos,  
 Paruulus ad syluæ densa viret a puer.  
 Longius à sylua cedunt vbi arando parentes,  
 Hei miseri gnati non memoresq̃ sui.  
 Ex sylua veniunt bini, puerumq̃ repenti  
 In syluam secum diripuere lupi.

Fortè

Fortè lupa ediderat multos enixa catellos,  
 Quos nuper matri rusticus eripuit.  
 Illa sum in foueam puerum lupa ducit, & illum  
 Vberibus multis nutrit, habetq; dies.  
 Amissum gnatum, sylua per deuia quarunt,  
 Et pater & mater, voce querente diu.  
 Ad Dominum faciunt pro gnati sepe salute  
 Ab quoties miseri vota precesq; Deum?  
 Cùm iam desperant reditum gnatiq; salutem,  
 Seuis quòd dudum sit data præda feris:  
 Tutela Domini, cuius sunt cura puelli,  
 Est rabida factus liber ab ore lupa.  
 Namq; pater syluam forsàn cùm transit, eodem  
 Gnatus quo fuerat perditus antè loco:  
 Ecce venit currens, non laesus gnatus ab vllò,  
 E latebris lapsus, faucibus atq; lupi.  
 Quanta putas fuerint mœsti tum gaudia patris,  
 Gaudia, quòd subitò sic sibi natus adest.  
 Insequitur puerum consuetò absentis amore,  
 Antrum cùm vacuum repperit esse lupa.  
 Quid dubitas verum? retulit quod longavetustas,  
 Veraces nobis quod retulère senes:  
 Romulus est altus Remo cum fratre Quirinus  
 Sic rabida gremijs vberibusq; lupa.  
 Hoc docet exemplum, quàm sint tibi Christe puelli  
 Cura, quos contra sic tueare lupos.  
 Sic tibi cygneus puer est seruatus & altus  
 In sylua & longo tempore tutus agit.

Sæuorum

Sauorum quondam claudens sic ora leonum,  
 Seruasti Daniel, Christe benigne, tuum.  
 „ Qui tibi confidit, tua qui pia numina poscit,  
 „ Tutus hic in cunctis est q̄ manet q̄ malis.

DE PVLLA IX. ANNORVM  
 abrepta & deuorata à duobus lupis, in  
 pago Hafsia Fach, sita in ripa  
 Visurgis, anno 1518. Ve-  
 ra narratio.

Hic patrie referam miseranda fata puella,  
 Quam duo sunt ausi dilaniare lupi.  
 Anni vbi mille fluunt, quingenti octo decies q̄  
 Saluifico à partu virgo beata tuo.  
 Inclyta quas clares Reinswaldia sylvia per oras,  
 Quas liquidis transis clare Visurgis aquis.  
 Arx vbi vicina est tua Sappenburgica, princeps  
 Hessorum gentis gloria magna tua.  
 Non memoro auditum mihi, sed puerilibus annis  
 Quae patrio vidi, quae dolui q̄ solo.  
 Tempore quo rapidos inflammat Syrius ignes,  
 Atq̄ facit seuos quo feritate lupos.  
 Phœbus vbi liquit conscendens aethera ab ortu,  
 Versa q̄ ab axe suo Parrhasis Arctos erat.  
 Esurie è sylvia veniunt duo perciti atroces,  
 Quos habet hæc multos Hafsica sylvia, lupi.  
 Accedunt propius pagum tectis q̄ propinquant,  
 Pastoris solo quae patuere loco.

Hortius

Hortus erat tectis iunctus, qui semine nuper  
 Confitus & florum quo genus omne fuit.  
 Sacra die hoc Domini praconi festa fuerunt,  
 Turba igitur sacra rustica in aede fuit.  
 Pascebat pater in syluis armenta remotis,  
 Abfuit & mater sedibus ipsa suis.  
 Custos ipsa domus patriæ tuguriq; manebat,  
 Gnatorum ludens paruula sola cohors.  
 Ut sata gallinas perdentes pellit ab horto,  
 Heu fati celerat nescia nata sui.  
 Nang; lupi inuadunt miseram, trepidamq; puellã,  
 Nil gemitus, clamor, nil lachrymaq; iuuant.  
 Heu feritas ingens, audent quòd tollere nuper  
 Annos quæ fuerat nata puella nouem.  
 Inter se mediam primùm du xisse docebant,  
 Vdo plantarum signa notata luto.  
 Longius à tecto donec venêre remotam,  
 Ad foueam, quales effodiuntur agris.  
 Hic misere primùm collum effregere puella,  
 Effusus testis sanguis vt ipse fuit.  
 Postea sublatam, miserandum, corpore portand  
 In syluæ foueam, quæ propè densa fuit.  
 In sua se condunt vlli non cognita lustra,  
 Atq; ibi dilaniant membra tenella lupi.  
 Cùm pater è sylua redijt materq; requirunt  
 Heu gnata m lachrymis, heu gemituq; diu.  
 Gnata vbi sit quærunt mæsti sui cara parentes,  
 Hæc tristis reddit cætera verba cohors:

Heu

Heu duo dilectam magni scuiq<sub>3</sub> sororem  
 In syluam à nobis heu rapuere lupi.  
 Horto dum properat gallinus pellere nostro,  
 Semina perdentes florigerumq<sub>2</sub> solum.  
 Aedibus excurrunt trepidi celeresq<sub>3</sub> per hortum,  
 Querant vt gnatam corde dolente suam.  
 Ecce vident miseri vestigia certa luporum,  
 Atq<sub>3</sub> pedum gnatae signa notata vident.  
 Heu dolor, heu quantus tenet heu gemitusq<sub>3</sub> paren  
 Gnatam cum cernunt abripuisse lupos. (tes,  
 Quantus erat Cereri, gnata est cum rapta per vn-  
 Plutoni Stygias, Tartareosq<sub>3</sub> lacus. (das,  
 Hic pater, hic mater, duos conclamat agrestes,  
 Auxiliumq<sub>3</sub> sibi consiliumq<sub>3</sub> petunt.  
 Aerea pulsata campana signa dederunt,  
 Vtq<sub>3</sub> solent bellis aera ciere viros.  
 Vndiq<sub>3</sub> concurrunt, hic torrens armatus adusto,  
 Hic subito tollit, quae sibi tela potest:  
 Accurruntq<sub>3</sub> canes parui magniq<sub>3</sub> molossi,  
 Ceu fera distentis sit capienda plagis.  
 Armati in syluam tendunt, quaruntq<sub>3</sub> latebras  
 Omnes, sublata cunctaq<sub>3</sub> voce replent.  
 Cuncta replet coruus crocitanus, aliaq<sub>3</sub> volucres,  
 Tristia defunctis quae sua fata canunt.  
 Omnia scrutantur canibus loca condita syluae,  
 Quarentes magna sedulitate lupos.  
 Ast non inueniunt latitantes montis in alti  
 Anfractu: is nulli cognitus ante fuit.

Ergo



Ergo domum redeunt miseri, te gnate parentes  
 Descentes multos corde gemente dies.  
 Ast tamen est mira tandem ratione reiectum,  
 Filia sit miserè quo laniata loco.  
 Nam pater in sylua pascit cum fortè capellas,  
 Filia vbi perijt nescius ipse sua.  
 En procul accurrens habuit, quem fortè catellus,  
 Custodem pecoris lanigeriq; gregis.  
 Ore vehit cranium capitis de montibus altis,  
 Elatum domini ponit & ante pedes.  
 Cogitat aspiciens cranium, ne fortè sit illud  
 Gnatæ, quàm nuper diripuere lupi.  
 Mox repetit foueam, cranium tulit vnde catellus,  
 Ceu monstret, perijt, quo sua nata locum.  
 Subsequitur mæstus renouato corde dolore,  
 Tempore iam cœpit qui minor esse patri.  
 Præuius ille nigrum comitantem ducit in antrum,  
 Carniuori Caci quale fuisse putem.  
 Hoc miser heu gnata laniata conspicit antro,  
 Vestes conspersas sanguine & ossa sua.  
 Aspiciens tristi tales de pectore voces  
 Effudit patria pro pietate pater:  
 Heu dolor, heu videam sic te mea gnata peremptã,  
 Heu videam, heu seuos te lacerasse lupos.  
 Hic tibi commendo gnatam, nostrisq; fugato  
 Aedibus infestos, optime Christe, lupos.  
 Hac vbi dixisset lachrymansq; dolensq; recessit,  
 Istum nec potuit post adijisse locum.

*Exuuias secum laceratas tristis & ossa  
 Inde ferens sacra contumulauit humo.  
 Sunt homines visi, quales Borussia cernis,  
 Quos magica in sauos ars facit ire lupos.  
 Occultè tandem pestes has sepe vocatus  
 Sustulit è medio pro bonitate Deus.*

DE PVGNA INTER VRSVM  
 & Aprum,

*Hæsiacis quondam mouit villosus in aruis  
 Vrsus cum sæuo prælia sæuus apro.  
 Morsibus infestis certamen & ictibus ardet,  
 Quis hostis læsus sæuus vterq; cadit.  
 Nobilis ad caulas opulenti & ouilia sepe  
 Dilanians pecudes vrsus adibat atrox.  
 Nobilis hunc canibus sectatur sepe ferocem,  
 Ictibus atq; fera tergora dura premit.  
 Effugit illæsus crebrò non verbera curans,  
 Diripiens pecudes, suetus vt antè fuit.  
 Non audet quisquam tutus iam nocte silenti  
 Aedibus hunc vrsus propter abire foràs.  
 Territat atq; fugat miseros truculenta per agros  
 Agricolas, contra quos fera dura venit.  
 Tempore post quodam caulas nocturnus adibat  
 Nobilis, vt rapiat dilaceretq; pecus.  
 Nobilis excitus, pecudum clamore canumq;  
 Crudelè stabulis sentit adesse feram.*

Accur-

Accurrit subito, duros conclamat agrestes  
 Auxilium, hunc hostem qui perimendo ferant.  
 Accurrunt omnes, hic fuste armatus acuto,  
 Stipitis hic grauidi pondere seuus adest.  
 Et famuli raptis concurrunt vndiq<sup>3</sup> telis,  
 Et trepida matres pensa colusq<sup>3</sup> ferunt.  
 Tergora contundunt telis armisq<sup>3</sup> fatigant,  
 Dum fugit ad latebras bellua saua suas.  
 Obuius huic ingens veniebat vulnificus sus  
 Syluestris, pedibus dentibus atq<sup>3</sup> ferox.  
 Vrsus quem contra consurgit percitus ira,  
 Et longam cupiense xaturare famem.  
 Consurgit seuus contra sus dentibus atrox,  
 Infigens vrsu vulnera crebra truci.  
 Pugna ferox oritur, miscentur praelia vtrinq<sup>3</sup>,  
 Vnguibus hic pugnat, dentibus ille ferit.  
 Vrsus apri costas aperit, sus lancinat aluum  
 Vrsi, sic seuo vulnere vterq<sup>3</sup> cadit.  
 Nobilis aspiciens hostem interijisse ferocem,  
 Sic pereant, dixit, qui mihi damna ferunt.

DE FILIOLO REGIS CVIVS-  
 dam, optante potius viuere inter  
 Dæmones, quàm Angelos,  
 Fabella.

Filius est Regi quondam generatus Egyp<sup>o</sup>,  
 De quo conueit querere saepe sophos.

Qui referunt regi, hic euadet pessimus olim,  
 Ni rectè à teneris doctus & altus erit.  
 Ergo sopho tradit, teneris qui formet ab annis,  
 Semoto à cunctis erudiatq; loco.  
 Daemonibus multum de nigris angelicisq;  
 Spiritibus doctor plurima verba facit.  
 Annis à populo vixit puer octo remotus,  
 Fœmina non visa huic, virgo nec vlla fuit.  
 Instituit pater hinc, qua consedère puella  
 Ornata, cœnam fœmineumq; chorum.  
 Sedere atq; viri iuxta, quos ordine longo  
 Demonys similes, hispida barba fuit.  
 Fœmineum aspiciens cœtum, pulchrasq; puellas,  
 Hæ quæ sint doctor, dic mihi, gnatus ait.  
 Demones hi, dixit, sunt quos ego sæpe cauendos  
 Admonui tetros tartareosq; tibi.  
 Demonstrans nigros, fecit quos hispida barba,  
 Hi qui sunt, doctor, dic bone, gnatus ait,  
 Angeli, ait, sunt hi tibi quos dico esse sequendos,  
 Hos viuas inter letus in arce Dei.  
 Paruulus hic inquit, genitali ductus amore,  
 Demones hos inter viuere & ipse velim.  
 Paruulus Aegypti monachus sic somniat Ancas,  
 •• Natura sequitur femina quisq; sua.

## DE MVLIERE ADVLTERA.

Mœcha habuit quondam mœchantem fœmina a-  
 In camera patrans turpia facta, virum. (pud se  
 Tresq;

Tresq̄ habuit Gallos: primus cū concinit ales,  
 Hæc domina fatur seruula fida suæ.  
 Si domina hic quæris, gallus quid cantet? amator  
 Est nostræ in camera cantat adulter heræ.  
 Gallum hunc post miserū citò mandat mæcha ne-  
 Turpia ne dominæ proderet furta queat. (cari,  
 Succinit hinc, fratris miseratus fata secundus  
 Seruam, quid cantet, dicere mæcha iubet.  
 Gallus ait cantat: meus est quia vera locutus  
 Occidit heu frater disperijtq̄ miser.  
 Tertius hinc monitus, fortuna fratris acerba  
 Aliger hæc cautus verba notanda canit:  
 Qui placidã in mundo sibi pacem quærit et optat, ))  
 Sit surdus, mutus, luminibusq̄ carens. ))

Gallus { 1. Christus, propheta & Apostoli.  
 2. Illorum successores.  
 3. Adulatores Tyrannorum.

DE VXORIBVS MINYARVM  
 liberantibus maritos è carcere  
 commutatis vestibus.

Tyndaridum clara Minyæ qui ab origine Lemnum  
 Annos permultos incoluere solum.  
 Sedibus hos patrijs quondam eiecere Pelasgi,  
 Omnia sic tandem regna superba ruunt.  
 Sparta vrbis Minie petierunt arma, fidemq̄,  
 Sparta viros magna pro bonitate iuuat.

Iura simul donant Spartanæ mœnia & vrbis,  
Et socijs præstant commoda multa suis.

Deficiunt Minyæ, Spartarum regna petentes,

Debita sic meritis gratia nulla venit.

Infidos Minyas Spartani carcere claudunt,

Non vllus felix seditiosus abit.

Quo Minyæ capti, Spartano more vetusto,

Plectendi ob meritum tempore noctis erant.

Vxores captis signum flagrantis amoris

Ostendunt, veram coniugijq<sub>3</sub> fidem.

Carceris illustres aditum petière, maritis

Dicere ceu vellent vltima verba suis.

Admissæ vestes sibi sumunt inde virorum,

Atq<sub>3</sub> suas reddunt fraude doloq<sub>3</sub> viris.

Carcere se condunt ipsæ, vultuq<sub>3</sub> maritos

Velato, vt mœstos, carcere abire iubent.

Spartani vxorum moti pietate iugali,

Illis dilectos restituere viros.

Fœminea est celebris virtus pietasq<sub>3</sub> iugalis,

Mortem pro caris velle subire viris.

DE FOEMINIS VVEINSBUR-

gicis efferentibus ex patria vr-

be obsessos maritos in

humeris.

Mœnia Conradus cinxit Vveinsburgica Cæsar,

In quibus obsessus Vuelphius hostis erat.

Conrado Vuelphus longa obsidione fameq<sub>3</sub>

Pressus victori seq<sub>3</sub> suosq<sub>3</sub> dedit.

Carceris

*Carceris in sedem Vuelphus detrusus opacam,  
 Vrbs est militibus diripienda data.  
 Matribus & teneris belli de iure puellis  
 Exitus, & pueris liber ab vrbe datur.  
 Matres hinc sogyis dulci mota q̄ periclo,  
 Fraudes mox capiunt consilium q̄ nouum.  
 Supplice victorem clementem voce rogabant,  
 Vt sibi quæ possent corpore ferre darent.  
 Matribus hæc victor, muliebri ductus honore,  
 Germanus facilis quæ petière dedit.  
 Nanq̄ sibi vestes, aurum gemmas q̄ nitentes  
 Laturas secum corpore velle putat.  
 Vxores humeris tollunt portant q̄ maritos  
 Amplexu pueros, lacteolo q̄ sinu:  
 Pondere quo matres mirando vt vidit onustas,  
 Est Cæsar sogyis ductus amore pius.  
 Excipit hinc latos epulis matres q̄ viros q̄,  
 Et culpam donat quam meruère grauem.  
 Victoris placidè fecit clementia multis,  
 Vinci sic victis vtile saepe fuit.*

DE HONESTA QVADAM  
 coniuge Genaensi, quæ annos duode-  
 cim exulauit in vestitu virili in Al-  
 cairia, & tandem mirabiliter  
 reuersa est cum marito  
 in patriam, Anno

1424.

S 4

Lutetiam quondam iuuenes petière mariti,  
 Quatuor è patria quilibet vrbe sua.  
 Illicito quorum veneris commotus amore,  
 Ad socios vnus talia verba dedit:  
 Nos quid ad extremos mercantes currimus Indos,  
 Quid petimus merces per mare, saxa, niues.  
 Interea vxores capiunt sibi gaudia forsan  
 Nostræ cum mœchis nocte dieq; viris.  
 Nos quoq; furtiuo contrà letemur amore,  
 Cui libet in lecto dulcis amica cubet.  
 Sæpe suæ contrà celebrabat coniugis vnus  
 Virtutes, certam coniugijq; fidem.  
 Tantum, alius dixit, nobis quid coniugis ipse  
 Virtutes tollis, quid thalamiq; fidem?  
 Quid mihi, dic, audes precij deponere mecum  
 Ni doceam vxorem concubuisse mihi?  
 Nummorum plenos loculos deponit vterq;  
 Quos fidei tradunt hospitis inde sui.  
 Genai properat, qui vult conuincere mœcham,  
 Lutetia coniunx alter in vrbe manet.  
 Genai veniens, multum quo cogitat astu  
 Obtineat loculos victor in vrbe sibi:  
 Conspectum hinc nebulo tota captabat in vrbe  
 Fœminæ, & amplexus colloquiumq; sibi.  
 Obuia fit, templum petijt cum fortè sacratum  
 Fœmina, cui præstans fulsit in ore decus.  
 Alloquitur paucis, reddit sic verba modeste,  
 Audeat vt nunquam post adijisse piam.

Ergo



Ergo alias fingit sibi iam fraudes q̄, dolos q̄,  
 Fœmineum possit quò maculare decus.  
 Cistam opere eximiam fieri sibi curat, in illa  
 Ponere ceu merces grata q̄, dona iubet.  
 Pòst adijt vetulam, nulla est qua peior in orbe,  
 Quæ refugit Sathanas, hæc mala tentat anus.  
 Hæc petit, vt cista se clam concludat in ima  
 Vicina in camera collocet inde thori.  
 Impetret hoc, vetula promittit munera multa,  
 Et facere hoc possit qua ratione docet.  
 Se simulet nuper defuncti velle mariti  
 Sacratos longè nomine adire locos.  
 Ergo petat cistam camera sibi condere lecti,  
 Ad reditum seruet qua q̄, habet illa suum.  
 Si forsàn nunquam peregrinis venerit oris,  
 Cum cista teneat qua tenet illa sibi.  
 Qua latuit nebulo, cistam non prouida coniunx  
 In camera lecti condit habet q̄, sui.  
 Lectum adijt coniunx famula comitante iugalem,  
 Menstrua cùm splendens lumina luna daret.  
 Coniugis absentis cupida hinc castissima coniunx,  
 Post curas somno lumina fessa dabat.  
 Hinc nebulo tacitus cista prorepat ab ima,  
 Suspectum castæ reddat vt arte thorum.  
 Coniugis accedit lectum pòst improbus, illi  
 Altum cùm somnum lumina fessa tenent.  
 Denudat leuiter, ne sentiat illa lacertum,  
 Insita cui macula est, quam notat illa nigra.

Baccatos tollit loculos, zonam, annulū et aureum,

Illi quæ coniunx munera cara dedit.

Hinc cistam tacitus repetit, clauditq̄, repentè,

In camera furem ne quis adesse putet,

Postridie, velut est anus improba docta dolosè,

Reppetijt cistam, quam dedit antè sibi.

Fingit enim mendax, non hoc se tempore posse,

Quod statuit nuper, sancta adijisse loca.

Sic vetula cistam reddit castissima coniunx,

Nil etiam cistæ fraudis inesse putans.

Lutetiam hinc repetit latus de fraude peracta,

Nummorum vt victor millia quinq̄ petat.

Genai properans subijt cūm tectā, maritus

Obuius huic castæ coniugis ipse venit.

Vici, inquit nebulo, mihi da iam millia quinq̄,

Coniugis est mecum nam violata fides.

Ne dubitet, profert mira quæ sustulit arte

E camera castæ coniugis antè thori.

Nominat & maculam, cubito quæ sedit in ipso,

Nulli quæ fuerat cognita nigra viro.

Attonitus, multumq̄ dolens dat millia quinq̄

Vir, credens fractam coniugis esse fidem.

Genai celerans, patriam hinc contendit ad urbem,

Irata voluens plurima mente miser.

Coniugis infelix tandem meditatur acerbam

Cedem, qua carius nil magis antè fuit,

Urbem non intrat, dolor hei superabat amorem,

Coniugis aspectum iam tolerare nequit.

Ergo,

Ergo, quem viridem tenuit, diuertit in hortum,  
 Disitus hic passuum millia ab vrbe fuit.  
 Huc sibi clam famulum subito per scripta fidelem  
 Euocat, & coram talia iussa dedit:  
 Vxorem huc solam mihi solus ducito, meq;  
 Hic soli quaedam ducito velle loqui.  
 Cumq; comes syluam tenebrosam duxeris intra,  
 Sylua via in medio qua nemorosa fuit.  
 Confodito, & cedis mihi ferto signa patrate,  
 Occise & linguam ferto comamq; mihi.  
 Absit, ait famulus, scelus hoc committere tantum  
 Coner ego, aut menti vel subeatq; mea.  
 Vxor is domini care, dominaq; benigna  
 Crudelis maculem sanguine vt ipse manus,  
 Instat herus minitans, etiam ni iussa faceffat,  
 Illum se dubie tradere velle neci.  
 Tristis abit famulus, domina aduenisse maritum  
 Nunciat, occultans tristia iussa viri.  
 Letatur properans absentis ducta mariti  
 Coniunx, quo casto, flagrat amore, sui.  
 Agnus erat dominam comitari suetus euntem,  
 Quo solita est cunq; hæc casta mouere pedem.  
 Hic quoq; nunc dominam saliens comitatur in hor  
 Ordine sic miro cuncta regente Deo. (tum,  
 In mediam syluam cum deuenere silentem,  
 Ad dominam famulus talia verba dedit:  
 Hic ego confoderem, domina o te, percitus ira  
 Iussit herus, pœna sub grauitate mihi.

Nescio

Nescio qua domino tanti sint causa furoris,  
 Coniugis ut cara nunc petat ipse necem.  
 Quodq; ego ni faciam, mihi mortem est ipse mina-  
 Nec me vult oculos ante videre suos. (tus,  
 Atq; tuam mecum linguamq; comamq; nitentem,  
 Cedis patrata signa referre iubet.  
 Ast ego quam faciam tantum scelus, ipse per orbem  
 Ibo exul, mortis vel genus omne feram,  
 Talibus attonita est dictis castissima coniunx,  
 Conscia nullius criminis ipsa sibi.  
 Infelix animum partes versabat in omnes  
 Coniugis hei coniunx nuper amata sui.  
 Coniugis amplexus cuius sperabat amicos,  
 Irati infestas nunc timet illa manus.  
 Nulla cum famulus dicit ratione mariti  
 Iram placari posse, animumq; ferum:  
 Consilium reperit coniunx, quo salua repente  
 Sit sua, sit famuli vita salusq; simul.  
 Hunc ait, agnellum, ut fallamus coniugis iram  
 In nostrum celerans ense ferito locum.  
 Atq; meas agni vestes consperge cruore,  
 Illius & linguam tollito ab ore tibi.)  
 Atq; mei occise seuo fer signa marito,  
 Signa quibus vitam contueare tuam.  
 Criminis vllius mihi non sum conscia quamuis,  
 Hei tamen a patrijs exul abibo focis.  
 Exul ad extremos ibo Garamantas & Indos,  
 Vadis vel rapidis, vel peritura fame.

Sic

Sic ait, & tinctam dedit agni sanguine vestem,  
 Atq; agni linguam, caesariemq; suam.  
 Tristis abit famulus, dominā tristemq; relinquit,  
 O dolor, hic abitus quantus vtriq; fuit.  
 Nocte manet coniunx inter spelæa ferarum  
 Sola, sua infelix tristia fata gemens.  
 Coniugis occisæ famulus fert signa marito,  
 Infandæ iussit quæ sibi ferre necis.  
 Aspicit occisæ, putat vt cum signa maritus  
 Coniugis, hæc serò tristia verba dedit:  
 Hei mihi quod volui dilectæ coniugis ipse,  
 Tristia crudelis fata necemq; meæ?  
 Cur ego non coram quærebam conscia coniunx,  
 An facti sceleris tam grauis ipsa foret?  
 Aestu quid rapido iussi, quid percitus ira?  
 Innocuam forsā sic perÿsse tuli?  
 Coniugis heu cara semper nunc omnia mortis  
 Mente feram mecum mæstus vbiq; meæ.  
 Meq; sui vindex iero quocunq; sequerur,  
 Iniustæ & pœnas expetet illa necis.  
 Talia cum gemitu fundebat corde maritus,  
 Præproperam vxoris flensq; dolensq; necem.  
 Et statuit vinclo non se sociare iugali,  
 Pertæsus tædæ, iam thalamiq; noui.  
 Illa, inquit, primò, quæ se mihi iunxit amore,  
 Vltima sit coniunx permaneatq; mihi.  
 Interea in syluis hæc sola miserrima coniunx  
 Aspiciens cælos vota precesq; facit:

Summe

Summe Deus rerum, miserorum auditor & altor,  
 Nostras qui facili percipis aure preces.  
 Tu miseram placido desertam respice vultu,  
 Tu mihi sis tantis portus & aura malis.  
 Omnia qui solus nosti pater abdita cordis,  
 Qui Deus & renes ima<sup>q</sup><sub>3</sub> corda probas,  
 Me crimen nullum nosti admisisse, maritus  
 Cur me crudeli perdere morte queat.  
 Sic ait, & properans syluam patriam<sup>q</sup><sub>3</sub> relinquit,  
 Et dixit lachrymans vltima verba suis.  
 Post vrbes ady<sup>u</sup> multas sub veste virili,  
 Exul ne cuiquam cognita casta foret.  
 Incidit in nautam forsā qui tendit in oras  
 Barbarici regis, ditia regna procul.  
 Nautam per pelagus rogat vt se transuebat altum,  
 Se dominum pridem quærere vbiq<sup>3</sup> bonum.  
 Nauta ait, es præstans animo facie<sup>q</sup><sub>3</sub> decorus,  
 O iuuenis, faustum quod tibi nomen habes?  
 Promptus ait, nomen faustum est, Fridericus au-  
 Omen quod pacis nomen amoris habet. (tum,  
 Nauta ait, ipse voles si te præstare fidelem,  
 En fido soluam præmia digna viro.  
 Quatuor hos pasces falcones, quos ego claro  
 Sultano regi munera grata fero.  
 Falcones gaudent generosi pascere reges,  
 Per liquidum volucres aëra falco capit.  
 Accipit officium letus Fridericus, alit<sup>q</sup><sub>3</sub>  
 Falcones magna sedulitate diu.

Falcones

Falcones vegeti fiunt alacresq<sup>3</sup> repente,  
 Sedulus hos praesens dum Fridericus alit.  
 Est ubi prima fides pelago, pacataq<sup>3</sup> venti  
 Dant maria, atq<sup>3</sup> calens Auster in alta vocat.  
 Littore deducunt naues fluctusq<sup>3</sup> secantes,  
 Ditia Sultani per mare regna petunt.  
 Aspirant zephyri, fertur cita gurgite nauis,  
 Nec iam comparent regia recta procul.  
 Huc remis vertunt puppim ripaq<sup>3</sup> propinquant,  
 Et lati soluunt vota precesq<sup>3</sup> Deo.  
 Nauita falcones offert vegetosq<sup>3</sup> alacresq<sup>3</sup>  
 Regi, quos magno comparat ille sibi  
 Falcones subito moerent alasq<sup>3</sup> remittunt  
 Tristes, non potum, non cibum, vt antè, petunt.  
 Iratus reuocat nautam rex, duriter atq<sup>3</sup>  
 De facta accusat fraude doloq<sup>3</sup> sibi.  
 Falcones iussi, ferres alacresq<sup>3</sup> bonosq<sup>3</sup>,  
 Iam tuleris quales ipse videre potes.  
 Nauita falcones letos alacresq<sup>3</sup> fuisse  
 Omnes euectos per maris alta refert.  
 Tristitia causam nullam se scire, requirant  
 Ni iuuenem forsan, qui dedit antè cibum.  
 Corpore praestantem iuuenem formaq<sup>3</sup> decorum,  
 Virtus sit cuius cognita saepe sibi.  
 Rex petit vt iuuenem se coram nauita sistat,  
 Falcones sueto pascat vt ille modo.  
 Aduenit excellens iuuenis vultuq<sup>3</sup> decoro,  
 Moribus in vita, fulsit in ore decus.

Altorem

Altorem iuuenem mox vt videre priorem,  
 Latitia volucres signa dedere noua.  
 Excutiunt plumas alacres, alasq<sub>3</sub> resumunt,  
 Corpore & est subito, qui fuit antè, nitor.  
 Dotibus hinc animi motus formaq<sub>3</sub> decora  
 Rex, iuuenem regno seruat amatq<sub>3</sub> suo.  
 Huic regi seruit tanto Fridericus amore,  
 Rex regni vt tradat munera clara sui.  
 Aurati hinc equitis spectandum tradit honorem,  
 Hic honor est belli clarus ab arte datus.  
 Tempore post paruo pestis grassatur in oris  
 Cunctis, & tollit millia multa virum.  
 Lethalem ex regno chara cum coniuge pestem  
 Rex subito fugiens, extera regna petit.  
 Interea fidus regis Fridericus vbiq<sub>3</sub>  
 Absentis solus munera clara tenet.  
 » Sic Deus ad celsos humiles extollit honores,  
 » Qui sua commendant fata regenda Deo.  
 Rex reditum differt patrias vbi clarus ad oras,  
 Tutela regis quisq<sub>3</sub> carere putat.  
 Barbarica multo populantur milite gentes,  
 Et terram vastant diripiuntq<sub>3</sub> truces.  
 Hic memor officij Fridericus fortis in armis,  
 Non animo trepidus, non mulierq<sub>3</sub> fuit.  
 Barbaricas vincit fortis certamine gentes,  
 Et capit hostiles expoliatq<sub>3</sub> duces.  
 Facta vbi rex audit Friderici clara fidelis,  
 Principis in regno iussit habere locum.

Annos



Annos bis senos summo sic plebis amore  
 Regnavit, regi proxima sceptrā ferens.  
 Ah miser es, quisquis mendax periuria celas,     ,,  
 Peccanti tacitis pœna venit pedibus.     ,,  
 Nulla est impietas felix, iniuria nulli,     ,,  
 Ast pietas felix est, bonitasq; manet.     ,,  
 Quodq; latet tandem malefactum proditur omne,     ,,  
 Est iustus punit qui Deus omne malum.     ,,  
 Accidit ut quodam Fridericus tempore princeps  
 Ex aula regis concomitatus eat.  
 Mercator nuper diues qui venerat hospes,  
 Scenam construxit forsan in vrbe sibi.  
 Præteriens quærit princeps quibus adsit ab oris,  
 Quod nomen, mercis quid ferat atq; nouæ:  
 Inclyte, ait, princeps nuper Florentia ab vrbe  
 Veni, & Ioannis nomine ritè vocor.  
 Quas patria secum merces aduexerat hospes,  
 Laudans ostentat voce manuq; nouas.  
 Agnoscit princeps, mirum, quæ ablata fuerunt  
 Ex camera quondam nocte silente sibi.  
 Baccatos loculos, zonam simul annulū et aurēum,  
 Coniunx quæ dederat munera cara suos.  
 Aestimēt hæc quanti κερμύδιæ querit amanter,  
 Dissimulans princeps plurima mente bonus.  
 Principis aspectu motus mercator amico,  
 Cum claro cœpit principe multa loqui.  
 Inclyte si referam princeps, qua Gallica in vrbe  
 Ista ego sim nactus fraude doloq; mihi.

Rideres fraudem magis & κειμήλια haberes  
 Cara tibi, vt semper cara fuere mihi.  
 Dic, bone, ait, princeps, mihi nunc κειμήλια quan̄  
 Es nactus mira fraude doloq̄, precor.  
 Cetera gaudebat narrans sibi fraude beatus,  
 Coniugis occise tristia fata dolet.  
 Infelix narrat letus quæ tristia verba,  
 Per iugulum misero sunt reditura viro.  
 Constitit attonitus sibi princeps ordine miro,  
 Omnia sic fieri nota regente Deo.  
 Ambrosij nomen quod erat ritè ipse mariti  
 Genai, & patria mœnia nota refert.  
 Dissimulans princeps hominem sermone benigno  
 Excipit, & magna pro bonitate tenet.  
 Baccatos loculos emit & zonã annulũ et aureũm,  
 Quondam quæ fuerant munera cara sibi.  
 Sic didicit certò princeps carum esse maritum  
 Deceptum quondam fraude doloq̄, malo.  
 Quas pœnas nebulo soluat ratione scelestus  
 Cogitat atq̄, animo voluit agitq̄, diu.  
 Ambrosio tandem regis sub nomine mittit,  
 Genai ad patriam talia scripta viro:  
 Ambrosi, ô nostris qui nobis notus & oris,  
 Genai & cunctis carus in vrbe bonis.  
 Fama tui nostras celebris peruenit ad aures,  
 Nominis & nuper gloria nota mihi.  
 Ergo veni nostras subito nunc hospes ad oras,  
 Nunc opera est mihi opus consilioq̄, tuo.

In cunctis nostram mentem experiere benignam,  
 Diues & à nobis nactus abibis opes.  
 Ambrosius noua miratur mente atq; volutat  
 Barbarici regis scripta benigna diu.  
 Scriptorum tandem latore vrgente per altum  
 Nauigio Alcarie ditia regna petit.  
 Cùm Libycas oras tetigere Aquilone secundo,  
 Regia progressi littore tecta petunt.  
 Ambrosium princeps, quondam carissima coniunx  
 Excipit, & notas iunxit amore manus.  
 Pectore quas censes flammis arsisse iugali,  
 Coniunx cùm vidit coniugis ora sui?  
 Coniugis est longo priuatus tempore cuius,  
 Amplexu dulci prolificoq; thoro:  
 Protinus exceptum cum nauta ducit in aulam,  
 Officia & defert regis amica sui.  
 Vespere post epulis primo curauit amicos,  
 Defessos refici colloquioq; viros.  
 Postea cùm rutilans stellas aurora fugarat,  
 Ad regem princeps talia verba dedit:  
 Aduenere duo hesterni, rex inclyte, luce  
 Ex patria nostra gente soloq; viri.  
 Quorum sunt artesq; nouæ, sermoq; facetus,  
 Notitia & rerum cognita saepe mihi.  
 Hos tua maiestas iubeat præclara vocari,  
 Ad cœnam nostræ gentis honore viros.  
 Rex ait, ô princeps, facito quæ clare voluntas  
 Hic tua fert patrijs pro bonitate viris.

Hinc domus interior regali splendida cœna  
 Instruitur, Libyci pro ratione soli.  
 Conueniunt clari proceresq; ducesq; vocati,  
 Præfecti terra conueniuntq; patres.  
 Conuenere, super strato discumbitur ostro,  
 Sedit pro meritis ordine quisq; suis.  
 Ambrosium princeps se iuxta collocat ipsum,  
 Ceu putet hoc dignum gentis honore loco.  
 Dant manibus famuli lymphas Cereremq; repo-  
 Ordine post longo fercula lecta ferunt. (nunt,  
 Postquam prima quies epulis mensaq; reposta,  
 Et Libycæ grates persoluere dijs.  
 Sic fatur princeps, poclis, rex clare, referti  
 Opiparis lati nunc dapibusq; sumus.  
 Ast Libycas nuper venit mercator ad oras,  
 Multa suis terris qui preciosa tulit.  
 Hunc quoq; conuiuam nobis, rex inclyte, adesse  
 Ferre sua & nobis huc preciosa velim.  
 Rex ait, huc properè veniat, charissime princeps,  
 Adferat huc secum quæ bona cunq; tulit.  
 Intra vbi mercator venit pallatia regis,  
 Verbis hunc princeps talibus alloquitur:  
 Hic, bone vir, coram nobis κειμήλια pone,  
 Vendita sunt abs te quæ tria clara mihi.  
 Baccatos oculos, zonam, simul annulum & au-  
 Et dic qua nactus sis ratione tibi. (reum,  
 Nescius heu facti letus κειμήλια promit,  
 Gestaq; sit qua res fraude doloq; docet.

Ambro-

Ambrosius noscens hominem sibi conscius ipse,  
 Coniugis occisæ ceu putat ante sua.  
 Hei trepida pressus subito formidine tristem  
 Coniugis ob eadem tristia fata timet.  
 Erigit hunc verbis princeps Fridericus amicis,  
 Atq; animo iussit sit maneatq; bono.  
 Iam quoq; mercator cœpit trepidare scelestus,  
 Noxius indicio proditus ipse suo.  
 Extra post comitans princeps pallatia regem,  
 Hunc placida quærens talia voce refert:  
 Quid tibi mercator placet hic, rex inclyte, noster,  
 Fraudes sic referens improbus ipse suas?  
 Quid meritum censes hominē, quo crimine dignū,  
 Supplicio talis quo afficiendus erit?  
 Coniugis alterius castæ qui saepe pudorem,  
 Struxit & insidijs commaculare thorum.  
 Coniugis & furto κειμήλιον sustulit, atq;  
 Innocuam coniunx quam dedit ipse neci?  
 Rex ait, ille rota est contundi, funeq; ab alto  
 Suspendi dignus furq; latroq; simul.  
 Hæc mea & est, princeps, dixit, sententia iusta,  
 Quod fero de tali iudiciumq; viro.  
 Inclyte nunc intra rex te pallatia confer,  
 Rem citò mirandam conspiciasq; nouam.  
 Matronam contra quod designauit honestam,  
 Infandum quondam patria in vrbe scelus.  
 Rex redit ad proceres, noctem sermone benigno  
 Et reficit dictis exhilaratq; viros.

Intra sed princeps se confert atria solus,  
 Quodq̄ potest solo condit habetq̄ loco.  
 Hic properè nudans sibi vestes exuit omnes,  
 Syndone sed tenui casta pudenda tegit.  
 Hinc redit ad proceres, coramq̄ sic constitit illis,  
 Fœmineo vt quondam corpore nuda fuit.  
 Attoniti coram stantem mirantur, & inter  
 Se quærunt omnes, addubitantq̄ diu,  
 Quanam sit mulier, veniat quid corpore nuda,  
 Regis conspectus ante oculosq̄ virum?  
 Corpore non vllam magis hac vidisse venustam  
 Affirmant omnes, non facieq̄ magis.  
 Omnes sunt artus, sunt membra decentia, ocelli  
 Ceu Paphia rutilant lumina clara dea.  
 Casaries instar radiantis fulgurat auri,  
 Puniceas referunt osq̄ gena q̄ rosas.  
 Hellados hac species Helena non pulchrior olim,  
 Non Veneris Gnydia pulchrior vlla fuit.  
 Acrius intendens oculis, rex inclytus inquit:  
 Hæc visa est species corporis antè mihi.  
 Tuq̄ mihi noster Fridericus hic esse videris,  
 Quo mihi non melior principe in orbe fuit.  
 Quod si verus hic es, falsa nec imagine ludis,  
 Cur mihi dic, nudo corpore talis ades?  
 Inclyte rex, ego sum, dixit Fridericus vtringq̄  
 Fœmina veſtitu, sed simulata virum.  
 Fœmina mercator sua cui κειμήλιον quondam  
 Abstulit è cista hic fraude doloq̄ malo.

Ambro-

Ambrosius coniunx meus est, qui proximus hospes  
Inclyte rex, lateri confidet ille tuo.  
Huius qui inductus nebulonis fraude scelesti,  
Occultè innocuam tradidit ipse neci.  
Inde ego quos casus, sum quos experta labores,  
Sedibus heu patrijs exul in orbe diu?  
Hei quoties tristis nostri carissime coniunx,  
Occise ante oculos venit imago tibi?  
Contra hominē dignas nunc, rex iustissime, pœnas  
Hunc statuas, furtum quas meruit q̄ scelus.  
Rex ait, vt meruit, duplicata morte peribit.  
Pro merito pœnas crimine quisq̄ ferat.  
Est quia fur, totus furca pendebit ab alta.  
Atq̄ rota, vt latro, comminuendus erit.  
Sic homo regali raptus sceleratus ab aula,  
Quas meruit pœnas fune rota q̄ dedit.  
Ambrosius multos sed post cum rege benigno  
Traducit magno letus honore dies.  
Hinc patriam redijt donis cumulatus ad urbem,  
Coniuge cum cara letus ouansq̄ sua.  
Connubio iuncti multos vixere per annos,  
Quatuor & gnatos progenuere sibi.  
Et soboles castæ tanta virtute parentis,  
Felix cum tota posteritate fuit.  
Sic Deus exornat, castum quicumq̄ pudorem  
Seruant, & tradunt qui sua fata Deo.  
Afficit at pœnis tandem perditq̄ nocentes.  
Supplicium ante pedes impius omnis habet.